donatio cum tertio facta ex cauſſa oneroſa, vt in matrimonium ſpirituale eat, &ſic erit irreuocabilis, ſicut donatio propter nuptias, vt idémet Tellus poſt Ciſu. *ibi col.2. in dict. l.17. nu.82.* probauit: &quamuis in dicta ſcriptura donationis patrimonii non fieret expreſſa mentio d conuentionis: attamen ex mente patris donantis ad dictum effectum, & Epiſcopi recipientis filium cum prædicto patrimonio ad ſacros ordines, ea conuentio tacite ſubintelligitur.

Quinimo† quamuis iure communi attēto clericus poſſet vendere patrimonium huiuſmodi, ad cuius titulum eſt ordinatus, *iuxta gl. ſi. in cap. 1 tuis queſtionibus, de prebend. & ibi Abb. Inno.. & Felin. n. 10. idem Felin. n. etiam 10. & Decius in cap. eccleſia Sancta Maria, nu.18. conſtitutio. & doct. Couarr. in dict. cap. Raynaldus, §. 2. nu. 7 de teſtament. & lib. 1. variar. reſolut. cap. 4. numer* 4. & gloſ. illius dictum communiter recipitur, &ex Abb. & Felin. *vbi ſupr.* teſtatur Ioan Gracian. *regul.* 195. *num.* 7. ſequitur plures referens Mench. *de ſucceſ creat. d. §. 22. n. 43 & 44. quamuis Syluester in ſumma, verb. clericus, 4. n.* 9. aliud velit niſi quando clericus conſequutus fuit deinde poſt ordinationem beneficium ſpirituale; quo caſu in tali alienatione Epiſcopi licentia non requiritur ſecundum ipſum, qui id colligit ex Innocentio, quem refert: attamen ſacrum Concilium Tridentin. Seſſio 21. cap. 2. de reformation. in fine, decreuit, patrimonium clericorum, ad cuius titulum ordinati ſunt, deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari aut exiſtingui vel remitti nullatenus poſſe, donec beneficium eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant

11 vnde viuere poſſint. Addit† frat. Bartholomæus à Medin. *in ſuo inſtruct. confeſſorum, §. 8. de la ſuſpenſion. fol.* 94 quod aliter faciens remanet ſuſpenſus: de quo dicto ſemper dubitaui & falſum eſſe exiſtimo; quia Concilium hanc pœnam ſuſpenſionis minime imponit, nec eam à iure inuenio impoſitam, & cum ſit pœna non debet imponi, niſi exprimatur, *iuxta glo. fin. in cap. fin de iure patronat. Abb. ibi num.* 8 *Dec. conſil.* 19. *nu.* 3. *Iaſ. in l. illam, nu. 12. C. de collat.* plures congerit Tiraquel. *in l. ſi vnquam, verſ. reuertatur, num.* 249. *& ſequent. C. de reuoc. donat. Roland. à Vall. conſ.* 27. *num.* 14. *vol.* 1. *deciſ. Pedemonſ.* 7. *nu.* 1. idque in irregularitatis pœna probat tex *in cap. is qui, de ſententia excommunicationis in ſexto.* Quod ſi quis contendat hanc pœnam ſuſpenſionis per triennium à perceptione beneficiorum imponi contra alienantes bona eccleſiæ contra iuris diſpoſitionem, idque ſuperiori non denuntiantes, *per cap. 2. de bonis eccleſ. non alien. lib. 6.* hocque ad noſtrū caſum extendere velit, decipietur: quia diuerſum prorſus eſt: Aſſignatio namque patrimonij, vt eius titulo clericus ſacris ordinib⁹ inſigniatur, nihil aliud operatur, quam quod per eam ſatisfiat canonibus ſtatuentibus, neminem ad ſacros ordines promouendum eſſe, niſi is habeat patrimonium, ex quo valeat abſque mendacitate alimenta ſibi miniſtrare: vnde tale patrimonium ex hac aſſignatione non efficitur eccleſiaſticum nec habet priuilegium bonorum eccleſiaſticorum quandoquidem iure communi poteſt vendi & donari, iuxta gloſſ. *dict. cap. tuis queſtionibus, communiter approbatam,* vt eſt prædictum, ex qua hoc aſſerunt Abb. Imol. & Felin. *in dict. cap. eccleſia, num.* 10. *& doct. Couarr. lib. 1. variarum reſolution. cap. 4 nu.* 4. probat late Menchac. *de ſucceſ. creation. §. 22. num.* 41. Nec opinio Medinæ poterit iuuari vltimis verbis dicti decreti Concil. Trident. ibi, *Antiquorum Canonum pœnas ſub his innouando.* Nam intelligi poſſunt de pœna *tex. in cap. 2 & in cap. cum ſecund. Apoſtolum, de prebend.* &in terminis noſtræ ſpeciei & opinionis Medinæ, contrarium expreſſe tenet Nauar. *in Manuali Latino cap. 29. num.* 138. &latius idem *conſ. 16 de tempor. ordinan. per totum,* vbi quod clericus huiuſmodi id faciens, peccat, &ab ordinario pœna extraordinaria puniri poteſt.

10 Supradicta tamen prohibitio Concilii Tridentini de non alienando patrimonio clericorum, ad cuius titulum ordinati ſunt, ſine licentia Epiſcopi non videtur obeſſe huic ſecundæ parti, quominus huiuſmodi patrimonium imputetur in legitimam filij: quoniam quamuis prohibeatur alienari, & ſic videatur ceſſare præcipuum huius partis fundamentum, *de quo ſupra,* nempe *dict. l. omnimodo, §. imputari, C. de inoffic. teſtam.* quia ibi ideo militia emta filio ex pecuniis patris imputatur in legitimam filii, quia vendi poteſt atq; trāſmiſſibilis eſt ad heredes: Ergo ſi vendi non poteſt (vt contingit hodie in patrimonio clericorum, ad cuius titulum ordinati ſunt: quia ex dicto decreto Concilii prohibetur alienare ſine licentia Epiſcopi) non imputatur in legitimam, à contrario ſenſu *dict. §. imputari.* Sufficit tamen, quod huiuſmodi patrimonium ſui natura poſſit alienari, quāuis iuſtis cauſſis per Decretum Sancti Concilii ſit prohibita eiuſdem alienatio & exſtinctio ad tempus, donec beneficium eccleſiaſticum ſufficiēs ſint adepti, vel aliunde habeant vnde viuere poſſint. Et ſic prohibitio prædicta non eſt omnimoda, nec perpetua, ſed vt prædixi ad tempus, in fauorem ordinis clericalis, ne in vilipendium ipſius clerici cogantur mendicare. Præmaxime cum abſque dubio hoc patrimonium ſit tranſmiſſibile ad heredes, tunc enim ceſſat dicta ratio prohibitionis alienationis. Nam in caſu *dict. §. imputari,* ſufficit, quod militia ſit tranſmiſſibilis ad heredes, licet vendi non poſſit, *vt in textu ibi, Vel certa pecunia ad eius heredes perueniat,* per quem textum, hæc eſt communis opinio doctorum ibidem, vt atteſtatur Menchac. *de ſucceſſ. creation. §.* 10. *n.* 203.

Et ſicut hęc ſecunda pars iure fundata exſiſtit, ita& merito non caret iuris auctoribus eam probantibus, quam tenet, probat atque defendit late doctor Cotar *vbi ſupra in d. §. Rainal. § 2 nu. 7. de teſtament. & Auen. d. reſp. 17. n. 1.* dicens ſibi veriſſimam videri, &Menc. *de ſucceſ. creat. d. § 22. n. 44. idem Couar. lib. 1. var. reſol. c. 4. n. 4. ad fi.* vbi ſe refert in priori loco, &nouiſſime Andr. Angul. *vbi ſupr. nempe in d. l. 9 gloſ 4. nu. 5. & 17 circa fin. huius tituli de las meioras.* denique eandem late &bene probat Ayora *de partition. ſecunda part. queſtione decimatert. per totam.*

Hæc ſunt quæ pro vtraque parte adducere libuit; Quid tenendum? Ego hanc ſecundam partem longe veriorem & tenendam eſſe in iudicando & conſulendo exiſtimo aduerſus priorem Ioannis Fabri & ſequacium opinionem, ex omnibus ſupra ſecundo loco adductis & conſideratis, quę meo iudicio multo magis vrgent quam priora, quibus ſufficienter ſatisfactum eſt. Nec obſtat in praxi, quod Tellus Fernand. dicat, opinionem contrariam Fabri ſibi communem & veriorem videri, & Ioan. Gracian. veriorem & magis communem appellet; quia licet ſibi videatur communis, nō inde ſequitur eā eſſe cōmunem. Nec ipſe Tellus viſus eſt hoc affirmare, præcipue cum Aymō Crauetta, quem præcipuum ſequacem ſuæ opinionis allegat, remanet in fine conſilii in cōtraria ſententia, & ſit cvm noſtra ſecunda veriori, nec contraria poteſt dici vera, nedum verior ſed noſtra tantum, vt patet ad oculum & omnibus ſanæ mentis videbitur, difficultate huius puncti recte diſcuſſa, omnibuſque penſatis & conſideratis, *vt ſupra* Quinimo licet Matien. *vbi ſupra* referat eundem Menchac. *de ſucceſſ. creat. §. 30. num.* 116 quem voluit allegare *num.* 216. vbi eum citāt, nihil quod ad rem ſpectet, agit atteſtantem priorem Fabri ſententiam eſſe communem & veram, & plures eam ſequentes allegantem, Menchac. ibi non loquitur in noſtro

caſu & quæſtione, ſed in alio, qui licet prima

12 facie videatur ſimilis, † recte tamen inſpectus penitus eſt diverſus: agit námque in expenſis factis à patre, vt filius nanciſceretur beneficium Eccleſiaſticum: quo caſu teſtatur eſſe veram & communem concluſionē, quod prædictæ expenſæ non imputentur filio in legitima, quia tale beneficium habetur loco quaſi Caſtrenſis peculij & dignitatis, *vt in l. Sacroſancta. C. de Epiſc. & cleric.* & ideo ceſſat imputatio, *vt in l. 1. §. ſed an id, ff. de collat. bonor.* Id quod etiā probat Ant. Gom. in *l. 29. Taur. n* 21 *in verſ. ex quo ſubinfero, &c.* Et teſtatur etiam eſſe communem Ayora in *tractat. de partit. 2. part. q* 18. vbi eam limitat in expenſis ad litigandum pro beneficio vel dignitate, & ad expediendas bullas beneficij, licet propter auctoritatem communis opinionis, quæ eſt in contrarium, non liceat ab ea recedere. At vero ſecus eſt in prædicto patrimonio ad ſacros ordines ſuſcipiendos donato: quia cum ipſum de ſui natura ſit ceſſibile atque alienabile & ad heredes tranſmiſſibile, vt ſupra viſum, imputandum eſt in legitima, *vt in d. l. omnimodo, §. imputari, C. de inoffic. teſtam.*

13 Supradicta † procedunt, quando parens qui hujuſmodi donationem fecit ſuo deſcēdenti, vt ad titulum ſui patrimonij ordines ſacros ſuſciperet, non expreſſit in donatione, imputandū eſſe in legitima, nec eum in ipſo patrimonio melioraret: alias enim ſi aliquod horum exprimeret, vel aliter, ſufficienter tamen conſtaret de ſua voluntate meliorandi nempe filium in prædicto patrimonio, id ſervādum erit, provt dictum eſt in dote & donatione propter nuptias per tex. *iuncta gl. & communi opinione in Authen. ex teſtamento, C. de collat.* Vltimo, non admitto concordiam inter præd. opiniones contrarias noviſſime aſſignatam per Velazquez *vbi ſupr. gl* 3 *n.* 8. Ea enim eſt contra concordiam receptiſſimam *ſupra quæſtione præcedenti* aſſignatam *inter l. 26. & 29. Taur.*

SVMMARIA.

1 *Bona meliorationis, vinculi & prælegati atque maioratus de tertio & quinto, auctoritate legū huius Regni facti cum expreſſa prohibitione alienationis, an confiſcentur ex delicto poſſeſſoris læſa maieſtatis diuina vel humana, vel contra naturam commiſſo etiam appoſita clauſula, vt ex eiſdem criminibus non confiſcentur? Pars negativa probatur.*

2 *Firmior eſt conſtitutio maioratus, quæ fit de tertio & quinto auctoritate legum huius Regni, quam ea quæ licentia Regni fit.*

3 *Cautius eſt vti facultate legum huius Regni in condendo maioratu in tertio & quinto, quam facultate Regia, præterquam in exceſſu, & quomodo fieri debeat tunc temporis maioratus, & n.4.*

L. 27. Taur. hodie l. 11. tit. 6. lib. 5. Novæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO LXVI.

1 QVæro† circa *l. 27. Taur. hodie l. 11. tit. 6. lib. 5. Nou. Collect. Reg. An bona meliorationis, vinculi & prælegati atque maioratus de tertio & quinto bonorum facti auctoritate legum huius Regni, cum prohibitione expreſſa alienationis, confiſcentur ex delicto poſſeſſoris contra maieſtatem divinam vel humanam, vel adverſus naturam commiſſo, etiamſi fundator in ipſa conſtitutione vinculi vel maioratus adiecerit eam conditionem, ne propter quodlibet horum trium criminum bona prædicta confiſcari queant, quin potius ſi tale quid contigerit attentari (quod Deus avertat) hora præambula commiſſi delicti vinculum ſive maioratus pertranſeat ad ſequentem vocatum, ac ſi poſſeſſor ante delictum commiſſum & cogitationem illud committendi fuiſſet mortuus?* Quæſtio hæc ſatis dubia ſemper exiſtimata fuit, tam apud noſtrates, quam exteros interpretes, ideôque latiſſime in vtramque partem ab eiſdem agitata eſt, præcipue à noviſſimis Hiſpanis infra citandis, qui exacte rem hanc peragunt, vt nullus amplius diſputationis locus relictus videatur: Ipſi námque omnia fundamenta per ordinem vtriuſque opinionis referunt, & ejus, quam vnuſquiſque tenet contrarijs ſatisfaciunt: quare ne videar labores alienos tranſcribere, recitatione auctorum & electione ſententiæ meo iudicio tenendæ contentus ero, cetera per ipſos facile vel per aperturam libri videri poterunt.

In primis opinionem affirmativam in terminis noſtræ quæſtionis vtpote quod teſtator dictam cōditionē apponere non poſſit, eo quod ſit cōtra leges, tenet & latiſſime pluribus probat doctiſſimus Simancas Epiſcopus quondam Zamoren. jam vita functus, *lib. de inſtit. Cathol. tit 9. nu. 257. & plurib. ſeqq. ſecundum novam editio* vbi allegat ſuum collegam Galindo in *diſputatione Regia cap* 18. cujus opinionis novem fundamenta refert Doct. Molin. *de Hiſpan. primog. lib. 4. cap. 11. nu. 26. & ſeqq.* Eandem opinionem noviſſime confirmavit idem dominus Epiſcopus in ſuo libro diſceptationum, quem in lucem edidit anno præterito 1575. pro ſui defenſione adverſus duos Iuriſconſultos graviſſimos hujus Regni, qui hanc ſuam opinionem latiſſime impugnaverant, nempe Tellum Fernand. & Doct. Molin. quorum fundamentis ipſe latiſſime nititur ſatisfacere, & incipit liber ille: Duo Iuriſconſulti admodum eruditi, &c.

Contraria tamen ſententia, & ſic negativa quod bona vinculi & majoratus cōſtituti in tertio & quinto bonorum auctoritate legum hujus Regni, cum prohibitione alienationis, non confiſcentur etiam ex dictis tribus graviſſimis delictis, nempe lęſæ majeſtatis divinæ vel humanæ, vel contra naturam, præmaxime ſi teſtator vel diſponens adjiciat conditionem ſupradictam: ſed quod ſtatim vel momento vinculum vel majoratus tranſeat in ſequentem vocatum, eſt communis, verior & tenenda, vt conſtat ex latiſſime adductis ab auctoribus Hiſpanis ſequentibus, qui nervoſiſſime eam in terminis noſtris probant atque defendunt, nempe *Doct. Ant. Gom. in l. 40. Taur nu. 91. verſ. ſed his non obſtantibus, Greg. Lop in l. 6. tit. 11 part. 6. gl. magna, col. 1. Doct. Petrus Peralt. in l. 3. § qui fideicommiſſam, n. 27. ff. de heredib. inſtit. Tellus Fernand. in hac l. 27. Taur. num* 18 *& ſeqq. Doct. Molin. vbi ſupra, præcipue n. 31. & ſequentibus,* qui à principio illius *cap. vſque ad n.* 10. incluſive octo fundamenta hujus opin. refert, *& n. 43. reſpondet fundamentis contrariæ partis, & Licentiatus Pelaez in tractat. maiorat. 4. part. quæſt. 23. à princ. cum pluribus n. ſequentibus,* vbi hanc opinionem latiſſime probavit, & quindecim fundamenta ejuſdem refert, *& Angul. in l. 11. gl. 5. n. 6. & ſeqq. tit. 6. lib. 5. Nova Collect. Reg.* apud quod videndum eſt etiam, quid quando majoratus fit cum licentia & facultate Regia aliud tunc eſſe exiſtimantes, & præterea idem probat, Doct. Molin. *lib 2 c. 12. nu. 57. & ſeqq. & D. Didac. Perez in l. 1. tit. 2. lib. 5. Ordin. fol. 117. col. 2. & fol. 133. col. 1.*

Sed meo judicio omnium fortiſſimum fundamentum hujus ſecundæ partis tenendæ eſt, quod jure cōmuni licitū ſit vnicuiq; tempore traditionis rei ſuæ, quæcunque pacta, cōditiones & gravamina apponere, *vt in l. in traditionibus, ff. de pact. Aymon. Cravet. conſ. 118. nu. 5. & conſ. 174. n. 4. dixi in conſil. meo primo & ſecundo, num. 1.* & lex noſtra Regia concedit parentibus in tertio & quinto bonorum quæcunque grava-

mina apponere, inſuper & vincula, ſubmiſſiones & ſubſtitutiones facere. Poterunt igitur tempore confectionis meliorationis, vinculi atque majoratus de tertio & quinto bonorum ſuorum eandem conditionem adjicere; nempe quod ſi ejuſdem majoratus ſucceſſor commiſerit crimen læſæ majeſtatis divinæ, vel humanæ vel ſodomiæ, hora præambula delicti, vel cũ delictum committere tentaverit, bona in ſequentem ſucceſſorem pertranſeant, vt fiſcus ab ejus majoratus confiſcatione excludatur, cum non in fraudẽ fiſci, ſed potius ex cauſa conſervationis familiæ factum eſſe cenſendum ſit, *vt tenet Bald. reddens rationẽ in l. parentes. n. 7. C. de teſtam. idem Bal. in l. milites, n. 7. C. de teſtã. ſeq. plures referẽs Doct. Molin. d. lib. 2 de Hiſpan. primog. c. 2. n. 56.* Præterea cum potuit à principio parens cõſtituens vinculum & majoratum, hunc poſſeſſorem non vocare ad eum, ſed potius excludere alióſque vocare, ſervato tamen ordine hujus l. 27. potuit etiã eum vocare ad tempus, vſque dum committeret ac perpetrare tentaverit quodlibet horum trium criminum: poſtea vero vel paulo ante ab eo auferre præd vinculum & majoratũ & alij deferre: inhabilitas enim donatarij ſuperveniens repugnare minime poteſt volũtati & facultati diſponentis, licitúmq; eſt illi, qui vult bona ſua non alienari, ſed in familia perpetuo remanere, præcidere & amputare vias, per quas bona amitti poterant, *vt cum Socin. recte conſideravit Pelaez vbi ſup. n.* 11. Nec obſtat, quod *noſtra l.* 27. ſub generica ejus conceſſione non videatur concedere, quod ex his criminibus ea bona confiſcari nequeant, nec parentibus permittere, vt illa poſſint perpetuo à confiſcationis vinculo liberare, cum id Princeps nunquam vel raro concedere ſolitus ſit: maxime cum in hoc agatur de remittẽdo jure confiſcandi, quod eſt de regalibus, atq; id ex conceſſione generali remiſſum non cenſeatur: quia reſpondeo vnicuiq; à jure conceſſum eſſe, vt ita de ſuis bonis diſponere libere poſſit, vt ad fiſcũ trãſire non valeant. Nec ex eo dicitur quis fraudem fiſco facere, cũ potius id faciat, vt familiæ ſuæ cõſulat, vt eſt prædictum: quo ſit, non eſſe dicendum ex noſtra l. id conceſſum non videri, cũ tamen etſi id ea conceſſum non videretur, ex alijs conceſſum ſit: quinimo eadem principalis ſentẽtia ſupradicta procedit, etiamſi prædicta conditio non apponatur, ſed bona alienari expreſſe prohibeantur, vt alia fundamenta convincunt, per quæ idem probant hoc caſu ſupradicti Doctores.

2 Quo ſit, communiter † exiſtimatum eſſe ab omnibus huc vſque firmiorẽ & vtiliorem eſſe conſtitutionem vinculi & majoratus, quæ de tertio & quinto bonorũ ſit auctoritate legum hujus Regni abſq; licentia Regia, quam illa, quæ Regia facultate præcedente facta fuerit. Nam in Regiis facultatibus præcipitur, vt bona promogenio ſubjecta non poſſint fiſco adjici ex delicto poſſeſſoris, niſi ex crimine hæreſis, læſæ majeſtatis, & contra naturam. Quare cum eadem facultate parens vſus fuerit, videtur eam acceptare atq; ea lege majoratum inſtituere, ſicque indubium eſt, hoc caſu bona majoratus confiſcari ex quolibet horum trium criminum: quod ſecus eſt, quando vinculum vel majoratus ſit auctoritate legum hujus Regni abſque facultate Regia & alienatio prohibetur, vel expreſſa de hoc conditio adjicitur, vt ex prædictis criminibus majoratus non tranſeat in fiſcum, ſed ad ſucceſſorem proximiorem vocatum transferatur.

3 Quare cautius † eſſe videtur condere majoratum in quantitate permiſſa à legibus huius Regni auctoritate ipſarum abſque Regia facultate: quod ſi eamquantitatem parentes excedere velint, tũc impetrent ad id Regiam facultatem, nec tunc ea ſimpliciter vti debẽt, ſed eo adjecto, quod vti volũt in eo ſolum, quod majoratus ipſe tertij & quinti bonorum ſuorum valorẽ exceſſerit: in tertio vero & quinto vtuntur proviſione legum Regiarum, non vero præd. facultate Regia, vt refert Doct. Molin. *de Hiſpan. primog. lib. 2. c. 2. n. 10. & Angul. vbi ſupr. n. 1. & ſeqq. eum ſequutus.*

Hæc tamen licet ita ſe habeant, & vera ſint in quinta parte, quæ à parentibus extraneis relinqui poteſt exſtantibus deſcendentibus legitimis, & præterea majoratu inſtituto ab eo, qui neq; aſcendentes nec deſcendentes habet ex vniverſo patrimonio: reſpectu tamen tertiæ bonorum, quæ quod ad extraneos legitima eſt filiorũ, in patre vel alio quolibet aſcendente majoratum inſtituente, nõ ita generice nec indifferẽter procedunt: Nam quando adeſt vnicus filius, quo ad tertiũ non poteſt opponi gravamẽ majoratus, nec fideicommiſſi, nec aliud quodcunq; vnde vtilius, imo neceſſarium erit, tunc tẽporis vti facultate Regia, quam legum proviſione ad condendum majoratum de prædict. tertio in vnico filio, vt non corruat majoratus. Præterea, etſi pater plures liberos habẽs poſſit de tertio conſtituere majoratum auctoritate legum hujus regni: tenetur tamen quoad vincula & ſubſtitutiones ſervare ordinem ſtatutum à noſtra *l. 27 Taur.* vt prius vocet deſcẽdẽtes legitimos & naturales: deinde agnatos ſeu cognatos & collaterales. Poſtremo vero loco in eorum defectum extraneos, quẽ ordinem ſervare minime tenetur in primogenio inſtituto facultate Regia, vt infra in quæſt. proxima ſtatim diſſeretur.

Quare † vt omnia hæc aliáque ceſſent, & majoratus 4
firmius & cautius inſtituatur à parẽte, qui ad eum inſtituendum Regiam facultatem habet: advertendum erit, vt præd. clauſula non ſimpliciter & abſolute, vt communiter apponi ſolet & prædictum eſt, apponatur, ſed hoc modo, nempe profitendo condens majoratum, ſe Regia facultate, quoad quintam bonorum ſuorum partẽ vti nolle, nec etiam ea vti velle quoad tertiam bonorum ſuorum partem, niſi in eo, quod ad majorem ejuſdem majoratus conſervationem atque perpetuitatem, ſubſtitutionúmque ac gravaminum liberam appoſitionẽ neceſſarium fuerit: quoad cetera autẽ bona ſimpliciter ea vti velle: vel generalius profiteatur ſe vti jure cõmuni & Regia facultate eo pacto, quo melius ejuſdem diſpoſitio conſervari poſſit, ſecundum Greg. Lop. in *l. 6. tit. 11. p. 6. in gl. que la no pudieſſe vender, col. 3 ad fi.* ſed præcedens ſpecialis forma melior eſt, vt fatetur & reſolvit idem D. Mol. *vbi ſupr. d. lib. 1. c. 2. n. 11. & Ang. vbi ſupr. eum ſequutus.*

SVMMARIA.

1 *Conſtituens maioratum facultate Regia de bonis ſuis non tenetur ſervare ordinem l. 27. Taur.*

2 *Filius excluſus à facultate Regia aſſignatis ſibi alimentis ſeu dote competenti, tanquam extraneus cenſendus eſt.*

3 *Habens facultatem à teſtatore eligendi aliquem conſanguineum, non tenetur eligere proximiorem, ſed poteſt eligere remotiorem.*

4 *L. 27. Taur. intellectus.*

Eadem l. 27. Taur.

QVÆSTIO LXVII.

QVæro vlterius, † modo in quæſtione præcedenti 1
in tranſitu affirmavi, conſtituentem majoratum facultate Regia de bonis ſuis, non teneri ſervare ordinem *noſtra l. 27. Taur.* in vocatione perſonarum, *An id verum ſit & tenendum in praxi vel potius contrarium?* Et videtur, quod conſtituens majoratum facultate Regia, teneatur ſervare præfatum ordinem *d. l. Regia,* alias majoratus ſit nullus. Primo quia ratio noſtræ l. quare in tertio non poſſunt fieri ſubſtitutiones, niſi inter perſonas hic nominatas, eſt, quia tertium eſt legitima reſpectu extraneorum, ideo nõ poteſt in eo apponi gravamen majoratus ſive reſtitutionis, niſi reſpectu filiorum ſeu deſcendentium eiſdem exſtantibus, vt in præſenti reſolvunt Hiſpani Cõmentatores: Hæc autem ratio fortius concludit, idémq; expoſcit in majoratu omnium bonorum facultate Regia conficiendo, cum vltra tertium comprehẽdat etiam cetera bona, in quib. ceteri filij habere debent ſuam legitimam. Secũdo, quia ordo aſſignatus à noſtra l. nimis rationabilis & conveniens eſt: Eſſet enim abſurdum alienam ſobolem propriæ anteferri, atq; contra *l. cum avus, ff. de condit. & demonſtr. cum ſimil.* Tertio, quia facultas Regia ad teſtandum conceſſa intelligẽda eſt ſervatis regulis atq; ordine juris, *l. ſi quando, cum ſimil. C. de inoff. teſtam.* & poſtquam ea facultas aliquid operata fuerit, ſemper eſt reſtringenda, vt in omnib. alijs ſecundum jus commune interpretetur illudq; minus corrigat in quãtum ſit poſſibile, *vt in l. 2. C. de noxalib. Felin. in c. 1. de reſcript. n. 9. in verſ. ſecundo declara, & ibi Dec. n. 4. Curt. Iun. conſ. 5. n. 27. Molin. de Hiſpan. primog. lib. 1. c. 10. n. 77.* ſicque verba generalia atque abſoluta Regiarum facultatum intelligenda atque interpretanda ſunt ſecundum eundem Molin *lib. 1. ca. 14. n. 1. cum ſeqq.* Facultas igitur Regia ad majoratum conſtituendum ſatis eſt quod operetur, vt ex omnibus bonis parens poſſit majoratũ conſtituere, relictis ceteris filijs alimentis competentibus, adverſus omnia jura communia & Regia, abſq; eo, quod vltra id poſſit parens alterare ordinẽ ad majoratum ex tertio & quinto inſtituendum à noſtra l. præfixum. Hæc ſunt præcipua inter alia fundamenta, quæ in hanc partem adduci ſolent, quam proculdubio ſibi veram videri teſtatur D. Molin. *d. lib. 1. c. 4. n. 30. verſ. quod comprobatur, el primero, & Doct. Burgos de Paz Iunior q. 2. n. 74.*

Nihilominus tamen, quod prædixi in quæſt. præcedenti, eſt tenẽdum, nempe conſtituentem majoratum de bonis ſuis facultate Regia, minime teneri ſervare ordinem noſtræ l. quia cum ipſa tantum loquatur in vinculo & majoratu de tertio conſtituto, non eſt cur ipſius diſpoſitionem limitatam atque in tertio reſtrictam, ad facultatem Regiam ſimpliciter cõceſſam ad majoratum conſtituendum de proprijs bonis & vocandas perſonas, quas parẽti libuerit, extẽdamus quia ſi aliud voluiſſet concedens, expreſſiſſet provt in noſtræ l. Regiæ caſu expreſſum eſt: Cum igitur id nõ fecerit, de eo curandum non eſt. Secundo, quia ſi aliud diceremus nimis reſtricta eſſet facultas: nam nõ poſſet parens poſt vocationem deſcendẽtium legitimorum vocare aſcendentes legitimos niſi vocatis prius deſcendẽtib. illegitimis, ſucceſſionis tamẽ capacibus, nec agnatos tranſverſales niſi prius vocatis aſcendẽtibus, nec extraneos niſi prius vocatis omnib. agnatis nec poſſet etiam filium clericum, religioſum, nec furioſum, nec mutum & ſurdũ, nec filiam propter maſculos à majoratus ſucceſſione excludere: quod eſſet ſatis abſurdum & indignum. Accedit præterea quod beneficia Principum ſunt pleniſſime interpretãda, *vt in l. penult. ff. conſtit. Princip. cum ſimilib. l. 28. tit. 14 par. 7.* Non obſtant ex adverſo prolata, quoniam primum fundamẽtum ceſſat, eo quod relictis alimentis competentib. filijs, quæ in locum legitimæ ſubrogantur, vt late idem Molin *d. lib. 2. c. 15. n. 2.* probat, illud, ex quo majoratus inſtituitur, jam non eſt legitima. Conſequens igitur eſt, vt in eo ordo *d. l. 27.* quæ loquitur in tertio, quod eſt legitima reſpectu extraneorum, non

2 ſit ſervãdus: Quinimo filius † excluſus à facultate Regia aſſignatis ſibi alimentis ſeu dote competenti, tãquam extraneus cẽſendus eſt ſecundum Bart. in *l. 1. §. ſciendum, n. 3. ff. de ſuis & de legitim. hered. ſeq. alios referens doct. Mol. lib. 2. c. 11. n. 15.* Ergo cum eo, quia reputatur jam extraneus, non eſt ſervandus ordo *d. l. 27. Taur.* quia reſpectu extraneorum nullus ordo aſſignatus invenitur. Non obſtat & ſecundum fundamentum pro prima parte ſupra adductum, quoniam licet ordo aſſignatus in noſtra l. Regia, rationabilis atq; conveniens ſit in tertio, quod eſt legitima reſpectu extraneorum, id tamen ceſſat in majoratu facto cum facultate Regia, relictis alimentis & dotibus competentibus ceteris, per ſupradicta. Tertium etiam fundamentum nõ obeſt, quoniam procedit reſpectu ſolemnitatis actus teſtandi: ſecus vero reſpectu voluntatis circa diſpoſitionẽ, quia ipſa libera conceditur, præterquam in exceptuatis & limitatis in ipſa facultate. Vnde merito in Regali conventu Valliſoletano, ſecundũ hanc noſtram ſententiam pronuntiatum fuit, vt refert D. Molin. *d. c. 11. n.* 16. dicens, ab ea ſententia ſupplicatum fuiſſe, & pendere adhuc litem, ideóque in quæſtione adeo dubia ſuum nõ interponit judicium, nec declarat: ſed hanc opin. in terminis, licet eam non fundet, tenet Ant. Gom. in *l. 40. Taur. n. 55. in ſecundo effectu,* & eam probare videtur Tellus Fernand. (quamvis prius aliud ſenſerit) in præſenti *n. 12. in verſ. ex ea tamen differentia,* loquens reſpectu legitimæ: & vltimo inquit, ex dict. facultate Regia patri conceſſa liberatum fuiſſe parentem ab obligatione integram legitimam filijs relinquendi & ideo filius non poteſt conſequi illud, quod ſibi relinquere voluerit: In computatione vero relicti habebitur conſideratio ad gravamen: Eandem etiam ſententiam expreſſe tenet, quamvis ſuccincte, Matienc. in hac *l. 11. tit. 6. lib. 5. Nou. Collect. Reg. gl. 11. n. 3.* & probabiliorem dicit late pro vtráque parte eam examinans Mieres *de maiorat. in initio. 1. part. n. 11. fol. 8.* Hanc eandem noſtram ſententiam noviſſime poſt hæc ſcripta probavit latiſſime Velazquez in *l. 40. Taur. gl. 1. n. 58. & ſeqq.* cujus limitatio aſſignata *n. 67.* mihi non placet, ex ſecundo fundamento ſupra à me conſiderato.

Addit Pelaez † in ſuo tractatu de majorat, 1 *part.* 3
quæſt. 12. quod habens facultatem à teſtatore eligendi aliquem conſanguineum, non tenetur eligere proximiorem, ſed poſſe eligere remotiorem, dummodo ſit ex conſanguinitate, familia vel agnatione, licet alij proximiores non deficiant, *per text. clarum in l. vnum ex familia, §. ſi de Falcid. ff. de legat. 2. & in l. filiusfam. § cum pater, ff. de legat. 1.* & refert nonnullos Doctores ita tenentes: ex quibus *ibi n. 2.* infert novam & ſingularem limitationem ad noſtram *l. 27. Taur.* vt in hoc caſu parentes non neceſſitentur eligere proximiores, adeo vt talis electio fieri poſſit abſque citatione aliorum conſanguineorum, ex alijs Doctoribus ab eo ibi relatis: Hanc † tamẽ declarationem ad noſtrã *l. Taur.* 4
intelligerem veram eſſe & procedere, ſervato ordine ipſius, nempe vt exſtantibus deſcendentib. legitimis, ex eiſdem prius vocetur quamvis remotior, quam ex illegitimis, vel ex aſcendentibus vel alijs conſanguineis: nam tunc demum vocari poteſt ad meliorationẽ terti, deſcendens illegitimus, qui habeat jus ſuccedẽdi, quando legitimi defuerint: & aſcendens, quando deſcendens legitimus & illegitimus habẽs jus ſuccedendi, deficiunt, & extraneus, deficientibus omnibus ſupradictis. Itáque exſtantibus deſcendentibus legitimis, prius ipſi vocãdi ſunt quam ceteri, & ſic reliquis ſuo ordine, vt cavetur in noſtra l. In eodem tamẽ genere perſonarum videlicet deſcendentium, bene locum habebit præd. electio & prælatio eodem vel dipari gradu: ſed fieri tranſitus de vno genere ad aliud minime poterit, niſi prius vocatis omnibus illius prioris atque præcedentis generis.

SVMMARIA.

1 *Parvulæ donationes factæ à parentibus in vita an ve-*

niant in conſideratione, vt in quintum computentur, & n.1. diſtinguitur inter modicum exceſſum & notabilem.

2 *In reſpicientibus iuſtitiam etiam parva attenduntur.*

L.28.Taur.hodie l.12.tit.6.lib.5. Novæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO LXVIII.

1 QVæro † circa 28.*Taur hodie l.12 tit.6.lib.5.Nou. Collect.Reg.* Si parens non per viam quotæ, ſed minutim donavit, ita ex pluribus minutis fiat acervus, qui excedat quintum, an valeant hæ donationes particulares minutæ, etiamſi excedant quintum? Et in hoc Roder.Suar.in *repet l.quoniam in prior.b.in fi.C. de inoff.teſtam.* late nititur probare, quod vbi pater in vita non donaſſet quintum per modum quotæ,ſed feciſſet aliquas particulares donationes modicas, vt fit quotidie,non conſuevit attendi, vt tempore mortis habeatur conſideratio ad minuendam quintam partem bonorum quam pro anima legaſſet,propter illas particulares modicas donationes factas à patre in vita, quia eſſet hoc quodammodo ligare manus patris, vt induceretur interdictio diſtributionis & adminiſtrationis bonorum:quod non eſſet procul ab iniquitate:& nihil ad hoc allegat niſi conſuetudinem &abſurditatem,quæ alias reſultaret Pro qua ſententia facit doctrina Bald.in *l.Titia, in 2.lect.verſ 2.quæritur.ff. de inoff.teſtam.* vbi agent,an legata quæ conſervantur ex *Authen.ex cauſa, C.de l ber.præt.vel exhered.* ſuſtineantur,etiamſi teſtamentum annullatum ſit ex præteritione per errorem facta, inquit non conſervari, ſi ſunt magnæ quantitatis, ſecus ſi ſint parvæ Secundo facit doctrina Fabri, Angel. & aliorum, quos refert Tiraq in *l.ſi vnquam,verb.vel partem aliquam.n 2 C.de revoc donat.*tenentium,quod diſpoſitio d *l.ſi vnquam,* non procedit in donatione parvæ quantitatis: ſequitur Baeca *de non melior.rat.d t.filia.c.27.n 6.* Nec tenendo hanc partem obſtat noſtra *l.2*. Taur.* diſponens, patrem in vita,nec in morte,virtute legum fori hujus Regni,non poſſe vltra vnum quintum diſponere,quę lex licet loquatur quando donat deſcendenti, à fortiori procedet, ſi donet extraneis, non inquam obeſt lex hæc, quoniam loquitur, quando parens per viam quotæ donaret, vt ipſa innuere videtur, ſecus ſi per viam particularium rerum in parva quantitate donationem feciſſet.

Sed contrariam partem intrepide tenet atque probat Tellus Fernand in *hac l.28.Taur n* 4. dicens,quod Roder.Suar.vbi ſupra,loquitur ſine fundamento, cetera vero ſunt ex prę́ſumta voluntate donantis itáq;ſi voluiſſet, poſſet:nos vero ſumus in caſu in quo actus deficit propter impotentiam donatoris: ne legitima filiorum defraudetur: Igitur cum ex legib.noſtris coarctata ſit poteſtas patris, ita quod vltra quintum in præjudiciū filiorum diſponere non poſſit, merito hoc tenēdum eſt,ſive per viam quotæ, ſive minuatim
2 donetur Nam†cum conſideretur tantum effectus,nō autem modus,nihil intereſt quod per viam quotæ vel minuatim parētes donent:Imo ſatis probatur,hoc eſſe prohibitum in *l.8.tit.4.par.5.*vt ibi advertit Greg in *gl.en vida in verſ.& ſatis probat*: nam in reſpicientib. juſtitiam,etiam parva attēduntur,vt ait Pinel.in *rubr. C.de reſcind.vend.n* 8.*verſ.ego autem puto,& n.24.verſ. antequam vero*, & vbi agitur de auferendo jure alterius de minimis habenda eſt ratio,vt late tradit Brunus in *tract.de ſtatuto exclud.fœm.9.art.princ.in 12.q.*

Quid tenendum? Certe opinio hæc ſecunda verior eſt in rigore juris: nihilominustamen quando eſſet modicus exceſſus,&filij parū gravarentur in legitima ex donationib. minuatim factis in vita,æquum videtur dictum Rod.Suar maxime ſi conſuetudine roboratum.Si tamen eſſet notabilis exceſſus & gravamen, idem eſſet judicādum in plurib.donationibus minuatim factis,quod in vna magna,ita reſolvit Greg Lop. *vbi ſupr.d gl.magn.*cujus equidem reſolutionem probo: nūquam enim vidi omnes eleemoſynas in pauperes erogatas atq; donatiunculas parvulas conſanguineis & alijs in vita factas à parētib. computari poſtea in quinto bonorum ſuorum: ſed de illis nulla cōſideratio habetur.Eſſet enim (ſi aliud diceremus) nimium reſtricte effectum dominium parentum,atque manus eorum ligarentur. Nec obſtant in contrarium ſupra adducta, quia illa procedere poterunt in rebus mere alienis:at in noſtra quæſt illa parvula de quibus parentes in vita diſpoſuerunt erant propria ſua,quamvis per noſtram l.vltra vnum quintum diſponere minime poſſent:tamen cum ſit modicæ quantitatis, & parum filijs præjudicetur per donationes parvulas,nō debet in conſideratione venire, ne in totum parentibus qui proprio ſudore atq; induſtria illa acquiſierunt, auferamus diſpoſitionem bonorum ſuorum, ſed æquū eſt illis in aliquo deferre eorum voluntati.Si autē ex omnib his ſingularib donationibus fieret magnus acervus,ita quod aliquod magnum cōſiderabile præjudicium fieret filijs in legitima:tūc non procederet opinio prima,ſed ſecūda ſentētia:& ita teneo,vt prædixi: pro quo facit ſententia Socini Senior. *conſ 93.n.15.ad fi lib.1. de qua infra* in quæſt. ſtatim ſequenti agemus: hanc etiam partem & in effectu ſentētiam Rod.Suar. & Greg.Lop. *vbi ſupr.* in terminis latiſſime pluribus rationib.atq; doctrinis probat Baeca *de non melior.ratione dotis filiab.c.27.per totū*,pręcipue *n.2 6.&9.*eámque ſequitur Matienc.in *hac l.12.gl.3.n.3* vbi limitat, niſi donationes pręḋict.parvæ quantitatis fierent alicui ex filijs,& vltra eas aliquis melioraretur in tertio & quinto,nā tūc credit imputari debere ei in quinto, ne cōtra legis prohibitionem melioratio excedat tertiam & quintam partem,& quod ita concordabis has opiniones.Aliam concordiam probabilem ponit noviſſime Ayora *de partit.2.q.35* vt opin.1.Rod.Suar.intelligatur in donationib. parvis factis pauperib. bene meritis,ita vt ſecundùm qualitatem donantis honeſte non poſſet non donare: opinio vero Telli contraria procedat in donationibus non ita minutis nec neceſſarijs: quia honeſte poterat donare.

SVMMARIA.

1 *Meliorare an poſſint parentes vltra tertium & quintum aliquem ex deſcendentibus, ex fructibus quos de bonis ſuis percipiunt? & n.ſeqq.reſolvitur negative.*

2 *Ius retrahendi competens circa immobilia iure ſanguinis ex vi ſtatuti,non habet locum in fructibus etiam pendentib.venditis in fundo ſtatim ab eo ſeparādis.*

3 *Donatio vltra quantitatem permiſſam revocatur in exceſſu, non tamen in fructibus.*

Eadem l.28.Taur.

QVÆSTIO LXIX.

QVæro† præterea:Parentes jure Regio,nec in vita, nec in morte minime poſſunt donare vel relinquere filijs, vel alijs ſuis deſcendentibus vltra vnum tertium & aliud quintum bonorum ſuorū & legitimam,*vt in l.26.& 28.Taur.* ſed eſt dubium *an de fructib.quos parētes percipiunt de bonis ſuis, poſſint facere donationes filijs vltra dictum tertium & quintum?* Et poſſe videtur, nā per leges hujus Regni aucta eſt legitima filiorum(quæ olim erat quarta, *vt in l.Papinianus, §.quarta, ff.de inoff.teſtam* & poſtea fuit aucta vſq; ad tertiam, *vt in Auth.noviſſima,(.eod.)* ad omnia bona parentum 1

parentum, excepto quinto,de quo etiam inter extraneos,& tertio, de quo inter filios & alios deſcendentes diſponere poſſunt parentes.Non eſt igitur dicendum, quod leges noſtræ voluerunt etiam auferre diſpoſitionem fructuum vltra neceſſitatem victus, quia eſſet minus civile: verba autem ſunt civiliter intelligenda,*vt in l.ſi cui, ff.de ſervit.tit.general.& l.penult.ff. ad exhib.*Interpretari igitur debent,vt minus lædatur jus commune,*iuxta notata in l.fi.§.in cōputatione, C.de iur.delib.*Confirmatur etiā,quia pręfatæ leges Regię, nihil declarant de fructibus:ſtemus igitur juri cōmuni, quo nemini prohibitū invenitur diſponere de fructib quia vnuſquiſq; rei ſuæ eſt moderator &arbiter, *vt in l.in re mandata, C.de mandat,& in l.nemo exterus, C.de iud.* Præmaxime cum hæ ll.videantur odioſæ,eo quod ſit contra naturalem æquitatem atque civilem, quibus licet vnicuíq; exſiſtenti domino diſponere de rebus ſuis,& ipſis ad debitum frui, *l.etiam,§.licet ff.ſolut.matr.*& contra diſpoſitionem juris cōmunis,quod in honorem lineæ aſcendentis conceſſit parentibus, excepto munuſculo, quod filijs jure naturæ debetur, de bonis ſuis ad libitum diſponere,*vt in d.§.quarta,& in l.ſcimus,§.repletionem,C.eod.tit.de inoff.teſtam.*& ſic ſunt ſtricte interpretandæ præfatæ noſtræ leges: & cum de re principali loquantur, ad fructus & acceſſoria trahi non debent, *iuxta text.& ibi notant Bart. & Doct.in l fi.§ fi.ff.de cond.indeb.*

2 Secūdo,†quia ita etiā videmus,quod jus retrahendi cōpetens circa immobilia jure ſanguinis ex vi ſtatuti, non habet locum in fructibus etiam pendentib. venditis in fundo ſtatim ab eo ſeparandis, quia per ſe diviſim & ſeparatim conſiderantur, vt ex pluribus late probavit atque deduxit Tiraq. *de vtroque retract.tit.1. de retract.lignag.§.1.gl.7.n.42.& ſeqq.*

Tertio ex text.*in l.cum oportet,§.non autem,C.de bon. quæ lib.& ibi Bald* vbi habetur,quod pater habens vſumfructum in bonis adventitijs filij,poteſt cum donare & relinquere cui voluerit,nec ex hoc filij poterunt intentare querelam inofficioſæ donationis, & ſic licet iſti fructus ſint bona patris, diſponit tamen de eis libere.

Quarto, pro hac parte facit doctrina Didac de Segur.in *repet.l.1.§.ſi vir vxori,col.2 .n.73.verſ.tertia erit concluſio,& verſ.quarta erit concluſio fol.79.ff de acquir. poſſeſſ.* vbi tenet,quod ſi pater donavit filio vltra modū permiſſū,donatio revocatur pro parte excedente, præterquā in fructibus, quia hi remanent penes filiū donatariū,qui eos lucratur,ex gl *l.generaliter verb.ex aliqua cauſa,in fi.ff.de fideicom.libert.* quæ tenet, quod quando res donata revocatur, non revocatur cū fructibus:quam gl dicit ſingularem *Iaſ.in l.ſi heres,n.1.ff. de condict indeb.pro intellectu,l.fi.C.de revocan.donat.* & eam ſequitur plures allegans Tiraq.in *l.ſi vnquā,verb. revertatur, nu 2 1.pag.mihi 311.C.de revoc.donat.contra Rip.in d.l.fi.q.65.ſeq.etiam Doct. Ant.Gom.1.tom.tit.de don.n.2 .ad fi.* & præfatam doctrinam Segur.refert & ſequitur Greg.Lop in *l 8 tit.4.p.5.& in gl.en vida,col. 3.& Arias in l.2 .Taur nu.7.* & pluribus comprobat Baeca *de non melior.ratio. dot. filiab.cap.35.n.2.& ſeqq,* vbi refert Molin. idem ſervari pronuntiantem in revocatione dotis inofficioſæ, & Didac.Perez ad Segur. *vbi ſupra, idem in l.1 tit.2.gl.1.pag.79.lib.5. Ordinam.vbi allegat Ant.Rub.conſ 34.n.3.*

Sed his omnibus non obſtantibus, contrarium eſt tenendum, imo quod nec etiam in fructibus bonorum ſuorum, ſicut nec in proprietate, parens poſſit meliorare filium vel alios deſcendentes,ne eis donare vel alio modo relinquere vltra tertium & quintum, ſed quod tantum poſſit diſponere de præd: fructibus, quo ad neceſſitatem victus, attenta qualitate & dignitate perſonæ,juxta notata per gl.&Doct in *l. maritum,ff.ſolut.matr.& in l.plenum,§.equitij, ff de vſu & habi.* Primo,quia tum legibus hujus Regni parentes non poſſint vltra diſponere, quam de tertio & quinto bonorum, vt prædictum eſt, & fructus etiam dicantur bona,cum ipſa à beando nuncupentur, *vt in l.ſubſignatum, § bona, ff.de verb ſignif.* nec in eis ratio differentiæ quæ convincat, aſſignari poſſit, conſequens eſt, vt fructus quoque comprehendant, cum generaliter de bonis loquantur, juxta regul.vulg. Quod lex generaliter loquens,generaliter debeat intelligi *l.1.§.generaliter, ff.de legat.præſt.l.de pretio, ff de Public.in rem act.* Præterea hoc fortius procedit, ſi conſideremus effectum:nam ita præjudicantur ceteri filij ex donatione vſusfructus: ſicut ex donatione aliarum rerum:quid enim intereſt inter hæc,cum omnia ſint bona parentum,&ita defraudenţur ceteri filij in donatione fructuum, ſicut in donatione aliorum bonorum.Secundo,hæc eadem ſententia probatur *ex l.fi.C.de frumen .vrbis Conſtantino lib.11.* vbi habetur, quod erat deputata certa quantitas pecuniæ ad emptionē frumenti tempore neceſſitatis quam officiales non poterant minuere,vel in alium vſum convertere ſub pœna dupli,& tamen dicitur ibi in fine, quod lucrum proveniens ex illa pecunia,cōtinetur etiam ſub eadem diſpoſitione etiam pœnali: Ergo ita idem dicendum eſt in caſu noſtræ quæſtionis.Tertio pro hac eadem ſententia facit *l.final.verſic.ve ult.ff.de requirēdis*, vbi patet, quod diſpoſitio illius tituli, per quem bona tam immobilia quam mobilia abſētis citati annotātur vt ſi veniat infra annum,recuperet,interpretatur per Trajanum,quod vendicat ſibi locum in fructib.poſtea perceptis illo anno qui inter mobilia cōputantur. Quibus & alijs fundamentis hanc opin.in terminis ſtatuti,per quod aucta fuerat legitima filiorum, & parenti licebat de quarta parte bonorum diſponere, tenet Socin.Senior.*conſ.93.incip.(Circa primū conſultationis. verſ circa tertium,n.11.& ſeqq.lib.1.*concludens, quod ſicut pater non poteſt diſponere de proprietate vltra quartam partem in præjudicium filiorū:ita nec de fructibus, niſi vt prædixi, quo ad neceſſitatem victus, attenta qualitate & dignitate perſonæ, quam ſententiam Socin. refert & ſequi videtur Tiraq *de retract.lignag.§.1 gl.7.n.41.* ſequuntur etiam & late comprobant eam adducentes in terminis noſtræ quæſt & noſtrarum legum Regiarum Greg.Lop. in *d.l.8.tit.4.p.5.gl.magna, & Pelaez de maiorat.1.part. quæſt.54.& Baeca de dot.cap.26.n.11.& 12.* vbi eam veriſſimam eſſe exiſtimat in dote data vltra legitimam ex fructibus ſubſtantiæ ſuæ,vt reſecandi ſint pro portione excedente legitimam.

Concludit tamen Socin.*vbi ſupr.n.15.*iſta non eſſe amare accipienda, vt ſi parens aliquando magnas expenſas feciſſet in victu,& aliquos fructus erogaſſet in pios vſus, debeat fieri imputatio in illā quartam partem(adde tu in noſtro Regno in quintam partē.)Sed ſi deberet ſupereſſe notabilis quantitas,ita quod veriſimiliter ſi non invenitur, parēs in alias perſonas erogaſſet procedat reſolutionis ſupradictę deciſio:quam modificationem ſequitur etiam Greg.Lop. *vbi ſup gl. magn.verſ.& ad fi.dicit bonum.* Non obſtant fundamēta contrariæ partis, & primum,quia reſpondeo,quod cum caſus noſter comprehēdatur in verbis ſtatuti ſive legum Regiarum, non poſſumus ab illis recedere, *l.non aliter,ff.de legat.3.*&dict.ſtatutum &leges noſtræ Regię comprehendunt etiam fructus,cum loquantur in bonis,vt ſupr.dictum eſt Nec eſt abſurdum dicere, quod pater nō poſſit diſponere hoc caſu de fructu,cū alias diceretur donatio inofficioſa fructuū, & leges indiſtincte velint donationē inofficioſam bonorum

reſcindi, cum loquantur de donatione patrimonij & facultatum, quoniam appellatione etiam fructus cótinentur, vt ſupra eſt oſtenſum: Ergo indiſtinctè debẽt intelligi, *vt in l.1.§ generaliter, ff.de legat.præſtand.cum ſimil.* Fructus enim augent rem *vt in l.item veniunt, §. fructus, ff.de pet.hered.* & fructus cenſentur res hereditariæ, ſicut reliquum patrimonium, vt probat poſt Iacob Butric. Bacca *d.c.26.n.10.* Non obeſt etiam ſecũdum fundamentum ſupr. pro prima parte adductum, quoniam ſtatutum illud de retrahendo rem jure ſanguinis, loquitur reſtrictè de re immobili, quod nõ eſt fructus licet pendens, conſiderato fine, hoc eſt, quod ſuperari debeat à proprietate, nam finis ad quẽ quodlibet negotium tendit, potius inſpiciendus eſt, quam quod præſens eſt, *l.ſi idem.§.vlt.& ibi Paul.de Caſt.ff. de iuriſ.omn.iud. l.ſi domum, ff. locat. l.qui bona, §.qui inter, ff.de damn.infect.* cũ aliis in propoſito allegatis per Tiraq. *vbi ſupr.n.45.* Præterea ſtatutum illud eſt contra jus commune, ac proinde odioſum, *vt in l.dudum, C.de contrahend.empt.* ideo non extendendum.

Non obſtat & tertium, quoniam in caſu *d.l.cum oportet, §.non autem, de bon.quæ lib.* fructus non percipiuntur ex re patris, vt ſic eodem jure cenſeantur, ſed proprietas bonorum adventitiorum eſt filij, ideoque diverſũ jus ſtatui debet: vnde hoc caſu limitatur præfata ſententia Socin. nempe ſi pater donet vſumfructum quem habet in bonis filij, quia iſta donatio non revocabitur per quærelam inofficioſæ donationis, provt dicit Bald. in *d.§.nõ autem,* quem ſequitur Greg. Lop. *ad fi.gl.Pelaez, n.1.vbi ſupr.* expreſſe hanc limitationem aſſignantes in noſtris terminis.

Quarto non obſtat doctrina Seguræ *vbi ſupr.* & ſequacium, quoniam in ſuo caſu etiam fructus nõ percipiuntur ex bonis patris, ſed ipſius filij, cujus eſt dominium, quia ex quo exivit dominium à patre per donationem, fructus ex re donata non fuerunt ſui, ſicq; etiam & ſecundo modo limitatur præfata Socini ſententia, ſecundum auctores eoſdem modo citatos.

SVMMARIVM.

1 *Lex 30. Taur. procedit tantum, quando teſtatur inter liberos ac deſcendentes teſtator: ſecus ſi inter extraneos teſtetur.*

L.30. Taur. hodie l. fi. tit. 6. lib. 5. Nou. Collect. Reg.

QVÆSTIO LXX.

QVæro circa *l.30 Taur. quæ hodie eſt l.fi.tit.6.lib.5. Novæ Collect. Reg.* diſponentem, *Que la cera y Miſſas, y gaſto del enterramiento ſe ſaque con las otras mandas graciosas del quinto de la hazienda del teſtador, y no del cuerpo de la hazienda, avnque el teſtator mande*
1 *lo contrario,* An† *procedat indiſtinctè, ſive teſtator habeat & relinquat deſcendentes ſive non?* Et videtur vtróque caſu eſſe intelligendam ex generalitate noſtræ l. nulla facta aſcendentium nec deſcendentium mentione: generaliter ergo in omni caſu eſt intelligenda, *vt in l.ſi plures, ff.de leg.3. & in l.ſi cui ſimplici ff.de ſervit.*

Sed contrarium eſt tenendum, imo quod d.l. Regia procedat tantum, quando teſtator inter liberos & nõ inter extraneos teſtatur quod conſtat ex eadem l. ibi, *Aunque el teſtador mande lo contrario.* Nam in his verbis manifeſtiſſime inſinuatur l. hanc introductã fuiſſe favore filiorum, quibus legitima neceſſario debetur, cum hoc caſu filij gravari non poſſint vltra quintum etiã ratione piæ cauſæ, nec funeris impenſæ, vt leges Regiæ diſponunt: ideo voluntas etiam expreſſa teſtatoris in contrarium nihil operatur. Non exſtantibus vero deſcendentibus, ſed herede extraneo inſtituto, clarũ eſt poſſe teſtatorem præcipere, vt impenſa funeris de corpore hereditario detrahatur, nec enim hoc caſu cõtrariũ voluit lex noſtra diſponere ſed quoties adſũt heredes legitimi & neceſſarij: & in terminis ita tenet D. Ant. Gom. in *d.l.30. Taur. verſ. hodie,* dicens, quod hodie nihil eſt immutatum per illam l. nõ relictis filijs nec deſcendentibus: ſed quod ſtandũ eſt juri communi, quo cavetur impenſam funeris fieri pro modo facultatũ & detrahendum eſſe de corpore hereditatis, *l.pen.ff.de relig.& ſũpt.fun. l.fi.§.in cõputatione, C.de iure delib.& ibi Dd.* Eandem ſententiam ſequitur Greg. Lop. in *l.2.tit.11.p.6.gl.magn.col.2.illius,* tenui ipſe in rep. *l.nemo poteſt, n.29 ff.de leg.1.* ſequitur etiam Io. à Roias in *ſua epitome ſucceſſ.c.9.n.27.& ſeq.* ſentit D. Covar. in *c.Raynal.§ 3.n.2.verſ.ſed & eadẽ, de teſtamentis:* eandem ſententiam probavit Ayor *de partit.2.p.q.6.* quãvis Matienc. in præſent. *l.fi.gl 3 n 3.* adverſus Ant. Gom. dicat ſe credere per l. iſtã ſatis eſſe immutatum ea ſpecie, vbi teſtator nullos reliquit deſcẽdẽtes: quia hodie non præfertur funeris impenſa ceteris creditoribus, cum non præjudicet filijs in legitima, vt in hac l. qui tamen filij ſunt quaſi creditores. Ergo veris creditorib. minime præjudicabit: & præterea, quia lex iſta præcipit de quinto deduci funeris impenſam. Ergo jam erat deductum omne æs alienum, eo quippe deducto dicuntur bona, *vt in l.ſubſignatum § bona, ff.de verb.ſign.* his námq; fundamentis noviſſimi Moderni gloſſatoris ſatis fiet infra quæſtione ab hinc ſecunda, quæ erit vltima ſuper hac *l.30.Taur.*

SVMMARIVM.

1 *Lex 30. Taur. procedit etiam ſtantibus tantum aſcendentibus legitimis reſpectu tertij, vt de illo deducendo ſit funeris impenſa, & cetera in eadem l. contẽta.*

Eadem l.30. Tauri.

QVÆSTIO LXXI.

QVæro vlterius, † an eadem l. noſtra procedat etiam exſtantibus tantum aſcendentibus legitimis, quibus neceſſario debentur pro legitima omnia bona, excepto tertio, de quo teſtator poteſt inter alios diſponere, *vt in l.6 Taur.* vt tunc de tertio illo deducenda ſit funeris impenſa non vero de toto corpore hereditario quamvis teſtator jubeat contrarium? 1
Et videtur ante omnia de corpore totius hereditatis deducendam eſſe funeris impenſam, tãquam æs alienũ *vt in l.21.Taur.* & in terminis ita tenet Palat Rub. in *hac l.30.Taur.n.2 & D.Caſtell.circa fi.* fingentes quæſtionem, quando vxor inſtituit patrem heredem vniverſalem, & marito lagavit tertium.

Sed contrarium eſt tenendum, attenta noſtra *l.30. Taur.* imo quod diſpoſitum in ipſa exſtantib. deſcendẽtibus legitimis, vt de quinto deducatur funeris impenſa, habeat etiam locum reſpectu tertij, exſtantib. tantum aſcendẽtibus, vt de ipſo tantum tertio deducatur tunc tẽporis funeris impenſa: non vero de corpore hereditario, vt reſolvi in *d.l.nemo poteſt, n.53.& 509.in fin.* vbi alios retuli, & prius tenuit D. Covar. in *d.c.Raynal.§.3.n.2.de teſtam.* & ante eum D. Caſtell. in *d l 6.Taur.in gl.El fuero de la tierra, in fi.* & poſtea jure idem probavit Io. à Roias in *ſua epitom.ſucceſſ c.9.nu.11.* & ſequentibus, vbi expreſſe reprobat Palat. Rub. & Caſtell. *vbi ſupr* tenentes contrarium. Hanc etiam ſecundam opinionem noviſſime nos allegans tenet Andreas Angul. in *præſent.l.13.gl.3.n.2.*

SVMMARIA.

1 *Funeris impenſa an præferatur creditoribus habentibus hypothecam, quando quintum bonorum defuncti, ſtantibus deſcendentibus legitimis, & tertium, ſtantibus aſcendentibus legitimis, tantum non ſufficit pro ipſa exſoluenda? difficilis quæſtis late examinata diſtinguitur.*

2 *Funeris impenſa neceſſaria præfertur iure communi tacitis hypothecis.*

3 *Praxis communis huius Regni conſueta ſeruari in omnibus diuiſionibus bonorum parentum inter filios.*

4 *Funeris impenſa non præfertur depoſito, quod exſtat, quia eſt de his rebus, quæ non conſiſtunt in pondere, numero & menſura.*

5 *Funeris impenſa neceſſaria pro ſepeliẽdo corpore defuncti, quando quintum vel tertium bonorum ipſius non ſufficit, reſpectiue præfertur & deducitur ante omne æs alienum, etiamſi pro eo cõpetat tacita vel expreſſa hypotheca. ſecus impenſa nõ præciſa nec neceſſaria.*

6 *Intellectus l.30.Taur.*

Eadem l.30. Taur.

QVÆSTIO LXXII.

1 QVÆRO † tertio circa eandem legem 30. *Taur. quid ſi quintum bonorum defuncti exſtantibus deſcendentibus legitimis, vel tertium exſtantibus àſcendentibus legitimis tantum, non ſufficiat pro funeris impenſa an tunc ipſa præferatur creditorib. habentib. hypothecam?*

2 De tacitis † hypothecis non eſt ita vrgens difficultas, quoniam ipſis iure communi hoc caſu funeris impenſa neceſſaria præfertur, vt reſoluit communem eſſe Ripa *in l.quæſitum, num 8 ff.de priuil.cred.& D. Ant. Gom. in hac l.30.Taur.nu. 2.* imo & doti, pro qua competit hypotheca tacita priuilegiata, *vt in l. cum, ff. de rel.& ſumt. funer. Dd. in l.1 ff.ſolut. matr. Ant.Gom. in dict.l.30.Taur.nu 2.* vbi dicit communem.

De expreſſis autem hypothecis, an eis impenſa funeris neceſſaria præferatur, eſt ingens dubium, quod in vtramq; partem late diſcutit Ant. de Fan. *de pignor. in ſecundo membro, 5.part.principalis, n.28.fol.111.* vbi in ea reſidet ſẽtẽtia quod nõ præferatur creditoribus habentibus expreſſam hypothecam: quam ſententiam communem eſſe profitetur Rip. *in d. l.quæſitum, n.8.ff. de priuil.credit.* Pro qua ſubtiliter pondero noſtrã l. diſponentem, ipſam funeris impenſam deducendam eſſe ex quinto bonorum; non vero ex corpore hereditario, quamuis contrarium præcipiat teſtator. Nam iux-
3 ta iuris † diſpoſitionem ante omnia de corpore hereditario bonorum cuiuſlibet defuncti deducuntur debita: Bona enim non dicuntur, niſi deducto ære alieno *vt in l.ſubſignatum, §.bona ff.de verb.ſignif.cum ſimil.* poſtea vero deducitur quintum legatum à teſtatore, vel quintum & tertium, ſi vtrumq, ſit prælegatũ, quibus deductis, cetera bona diuiduntur pro æqualibus partibus inter heredes deſcendentes legitimos: Et hæc eſt communis praxis huius Regni conſuetua ſeruari in omnibus diuiſionibus bonorum parentum inter filios: cum igitur prius deducatur æs alienũ poſtea quintum & de ipſo ſupra præcipiat noſtra l. deduci funeris impensã, nõ vero de corpore hereditario, etiãſi teſtator cõtrariũ iubeat; & prçterea funeris impẽſa nõ prçiudicet filiis in legitima, qui ſunt quaſi creditores, quãdoquidem de quinto, non vero de corpore hereditatis ipſa deducẽda ſit, vt in noſtra lege cauetur: Ergo à fortiori nõ nocebit veris creditoribus: ex quo cõſequitur manifeſte funeris impenſam etiam neceſſariã nõ prçferri creditoribus, nedum expreſſam hypothecam ſed etiam tacitã habentibus tã ſuprad. ratione, vt in terminis tenet Matien *hic gl.3.n.3* idem in *l.7.gl.5.n.2.tit.16 lib.5.Nou.Collect.Reg.* quare licet dubius hanc opinionem tenui in mea repetitione *l.nemo poteſt, n.95.ff. de legat.1.* Nec obſtare vidẽtur huic opin. leges prçcipiẽtes impensã funeris omne debitum præcedere. Nã ipſæ loquuntur attento iure communi, quo impenſa funeris ab ipſo corpore hereditario ante omnia deducebatur, *vt in l.penultima ff.de relig.& ſumt.fun.* At cum hodie attenta noſtra l. 30. *Taur.* ſecus ſit, nam non deducitur de corpore hereditario, ſed de quinto, manifeſtum videtur ipſam non præferri creditoribus tacitã vel expreſſam hypothecam habentibus.

Nihilominus tamen cõtrariam ſententiã, imo quod impenſa funeris præferatur creditoribus habentibus tacitam vel expreſſam hypothecam, probauit D. Ant. Gom. in præſenti *n. 2.* dicens ita tenere communiter doct. *in dict.l.penult.* & alibi eandem ſententiam probat Greg. Lop. *in l.30.tit.13.part.1.* in verb. *Deudas,* per illã l. ibi, *Ante que paguen ninguna coſa de las mandas que fizieſſe en ſu teſtamento, ni de las deudas que deuia, en qualquier manera que las deua.* quod procedit etiã ſi ſit depoſitum vt in *l.9.tit 3.p.5.* ibi *Por razon de la ſepultura del finado.* Et ibi Greg. Lop. † ſe remittit ad eundem *in dict.l.30* præterquã ſi depoſitum exſtat: quia eſt de his 4
rebus, quæ non conſiſtunt pondere, numero, nec menſura. Tunc enim depoſitarius præfertur omnibus aliis creditoribus hypothechatis & priuilegiatis: quia rẽ depoſitam poterit rei vendicare tanquam dominus, qui eã depoſuit, vt probat, *l.ſi ventri, §.in bonis ff.de priuil. credit.& l.9. in fin.tit.3.par.5. l.parocuratoris, §.plane, verſ. Sed ſi dedi ff.de tribut. l.cum fundus, §. ſeruum tuum ff.ſi cert.petatur l.ſi quid tamen, C.qui potior. in pign. habeantur, Benuenut. in tract. de decoctor. vltim. part. numer.2. & 3.quem & alios refert Matienc. in dict.leg.ſeptim.gloſſ. quint.num. 1.* Eandem etiam ſententiam principalem, quod impenſa funeris præferatur creditoribus habentibus tacitam vel expreſſam hypothecam ſequitur Rolandus à Valle *conſil. 14. num. 24. libr. 1. & Petrus Rebuff. in 1. tom. Comment.ad Gallic.conſtitut. in tract.de ſententiis prouiſional. numer. 65. fol. 234. Petrus Duennas in Regul.397.in ſeptimo priuileg fol.156.col.fin. & Andr. Angul. in præſenti gloſ.3.num.21. vbi ſolum refert Gregor Lop. in dict.l.30.*

Quid tenendum † in hac difficili quæſtione? Ego 5
quidem re maturius conſiderata, quamuis articulus dubius ſit & in quo in diuerſas ſententias per doctores itum eſt, vt conſtat ex ſupradictis; magis nunc probo hanc ſecundam ſententiam, nempe, vt ſi quintum vel tertium non ſufficiat pro ſoluẽda funeris impenſa neceſſaria, deducatur ante omne æs alienum, etiamſi pro eo competat tacita vel expreſſa hypotheca: quod ſi cõtingat ſic deductam præiudicium inferre creditoribus & filiis quoad legitimam, incumbat onus iſtud & præiudicium potius filiis quam creditoribus: verum ſi impenſa funeris deduci non poſſit, quin præiudicet creditoribus; propter fauorem funeralis impenſæ patientur creditores hoc præiudicium: quod intelligendum eſt, quando iſta impenſa facta fuit circa ipſum ſepulchrum & neceſſaria ad ſepeliendum corpus defuncti, *vt in d.l.12.partitæ, & in l.at ſi impediat, verſ. Funeris, & in l.funeris ſumtus, & in d.l.penul.ff.de relig & ſumt.fun.* ita optime reſoluit materiam hanc inſignis D. Cou. *in c.Raynal.§.3.n.2.de teſta. ſequitur Ioan. Garſia Gallœcus in tract. de expenſ.& melior.c.8 n.29.* Nam ſi funeris impenſa alia eſſet vltra neceſſaria circa ſepulcrũ & ad ſepeliendum corpus defuncti; tunc vltra quintum non eſſet expendendum in præiudicium creditorum vel filiorum aliorumq; deſcendentium: Quo caſu procedere poſſet opinio cõtraria, veluti videtur eſſe in impẽſa facta pro curãdo defũcto in infirmitate, ex qua deceſſit, quæ funeris impẽſæ æquiparatur *vt in l.in reſtituenda, C.de petit.hered & in l.legatum, C. de relig. & ſumt.fun.* item in alia funerit impẽſa nõ neceſſaria pro corpore defuncti ſepeliẽdo, ſed ſuperflua, vel ad pompam & honorem defuncti, & ceteris legatis gratioſis, Hæc namque de quinto deducetur, non vero præ-

iudicabũt creditoribus nec filiis:nihilominus illa quæ ſit pro curãdo defuncto in infirmitate ex qua deceſſit, cum æquiparetur funeris impenſæ,vt in præcitatis iuribus,ante omnia deduci debet,ſicut ea quæ ſit neceſſario pro ſepeliendo corpore defuncti, *ſecund.Bald.in dict.l.in reſtituenda, Alex.& Iaſ.in l.fin.§.in computatione,C.de iur.delib.C.fuent.in l.30.Taur.num.3.verſic.item eſt,& ibi Ant Gom.circa fi.Greg.Lop.in l.8.gl.1.in princ. tit.6 part.6.Roland.à Valle conſil.14.num.27.vol.1 idem Greg.Lop.in l.fi.gl.deſpuesque,&c.in prin.in verſic.& adde,tit.2 part.5 Procellin.de inuentar.c.4.n.5.& 6.Anto.de Fano de pignor.2.membr.4 part.n.28.ad fin.*

Reſtat modo reſpondere ad ponderationem noſtræ *l.30.Taur.*ſupra factam pro prima opinione quæ
6 profecto ponderatio † multum vrget in contrarium &diu me abſque reſolutione ſuſpenſum habuit in hoc articulo:Sed meo iudicio non obſtat prædicta ſubtilis põderatio; Nam noſtra lex pręcipue fauore filiorum, ne præiudicentur in ſuis legitimis immoderata funeris impenſa aliiſque legatis gratioſis exceſſiuis introducta fuit, vt ſupra dixi quæſtione ab hinc ſecunda, provt regulariter præiudicarentur, ſi iſta funeris impenſa &reliqua deducerentur ex corpore hereditario: Nam pręter funeris impenſam,quinta pars poſſet gratuito legari:ne igitur vltra quintum grauentur filii,ſicut &aliæ leges diſponunt, optime lex noſtra ſanxit, imponens certam ad id metam &taxam, *Que la cera, Miſſas y gaſto del entierro,cõ las otras mandas gracioſas,ſe ſaquẽ del quinto de la hazienda del teſtador,y no del cuerpo de la hazienda,&c.*Præcipuum itaque intentũ noſtræ legis fuit prouidere filiis in hoc,ſicq; tacite ſupponere videtur loqui,quando prædict. quintum ſufficiens eſt ad ſupradicta ſoluenda,&hoc caſu eſt intelligenda noſtra l.ſecund.doct.Couar.*vbi ſupra.*At vero quoties prædict quintum ita deductum nõ ſufficeret ad impẽſam neceſſariam & pręciſam: ſine qua corpus ſepeliri non poſſet,lex noſtra hoc caſu minime loquitur, nec explicauit,quid tunc fieri oporteret, cuius mens præcipua,vt prædixi fuit,prouidere filiis, ne in legitima vltra quintum grauentur:Quare caſus noſtrę quęſtionis,qui diuerſus eſt,remanet ſub diſpoſitione iuris cõmunis tanquam omiſſus, *vt in l. commodiſſime, cum ſimil b.ff.de lib &poſthum.*Iure autem communi funeris impenſa neceſſaria hoc caſu quando exſtant debita,& bona defuncti pro omnibus non ſufficiunt, ante omnia deducenda eſt,*vt in l.penult.ff.de religioſ.& ſumt. funer & in dict.l.12.titul.13 part.1.*per quæ iura hæc noſtra ſecunda ſententia verior &tenenda videtur etiam in praxi quandoquidem, vt modo oſtendimus, ipſa per hanc noſtram legem 30. *Taur.* non mutetur nec alteretur Sic etiã videmus,quod filii &alii deſcendẽtes meliorati in tertio &quinto,iure Regio tenentur pro rata meliorationis ad debita defuncti perſoluẽda, *vt in l.21 Taur.hodie l.5.hoc titul.6.*nec hoc caſu ſimile priuilegium prælationis habẽt cetera legata gratioſa, quamuis per noſtram leg æquiparari videantur cum ipſa funeris impenſa. Nam æquiparatio hæc eo tantũ tendit vt prædixi, ne fiat filiis grauamẽ in legitima vltra quintum:&ſic quoties quintum ſufficit ad vtrumque perſoluendum : at vero ſi non ſufficiat, cum hoc caſu lex noſtra minime loquatur, & impenſa funeris priuilegiata inueniatur à iure communi &Regio Partitarum, vt quibuſcunque debitis præferatur, cetera vero legata minime;conſequens eſt ne inducatur iuris communis correctio, vbi expreſſe facta non inuenitũr,vt illa quatenus eſt neceſſaria &præciſa ad corpus defuncti ſepeliendum cum ſuo officio diuino, præferatur quibuſcunque debitis;alia vero legata minime, cum ſint gratuita,debita vero præcedentia neceſſaria ex cauſſa oneroſa: & ideo prædicta debita prius ſunt ſoluenda quam legata gratioſa.

SVMMARIA.

1 *In caſu l.41.Taur.an binus actus ſucceſſionis primogenitorum requiratur,vel vnicus tantum ſufficiat,iuncta continuatione poſſeſſionis per tempus à l. requiſitum,& nu 2.reſoluitur,vt binus ſit neceſſarius.*

2 *Binus actus etſi ad conſuetudinem inducendam requiratur,vnicus tamen habens tractum ſucceſſiuum per tempus ad eam requiſitum ſufficit.*

L.41.Taur.hodie l.1.tit.7. lib. 5. Nouæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO LXXIII.

QVæri poſſet de pluribus circa intellectum & praxin *l.41.Tauri,hodie l.1.titul.7.lib.5.Collectionis Regiæ,*circa modum probandi maioratum per conſuetudinem immemorialem & qualitates ipſius immemorialis probandas,niſi feliciter &luculenter omnia eſſent examinata per doctiſſimum atque eximium iuriſconſultum, ſimulq; in praxi virum verſatiſſimum inſignem Regium Conſiliarium D.Ludouic. Mol.de Hiſpan.*primog.lib.2 cap.6 per totam*, vbi alios modernos refert,&præfatam *l.31.Tau.*late commentatur, ideo eſt videndus.

Illud tantum†hic diſcutiam,quod ipſe ibi pro con- 1
ſtituto habet *num.* 24 *&* 25 cum mihi dubium atque quod controuerti poſſit, videatur, an in propoſito in caſu *dict l.41 Taur.*ſufficiat quod vnicus tantum actus ſucceſſionis primogeniti,quod ex *d l.Taur.*requiritur, occurrerit , an vero binus ſaltem actus neceſſarius ſit? Qua in re præfatus Dñs licet primo diſcurrat per cognitionem,vtrum conſuetudo vel præſcriptio ſit illa, de qua loquitur *d.l.41.Taur.*vt in primo caſu,nempe, ſi conſuetudo ſit,requiratur binus actus,vt in *l.3 C.de Epiſcop.audien.cap. ex parte,de conſuetud.gl.& doct.in l. de quibus,ff.d leg.*in ſecundo vero ſi ſit præſcriptio,vnus actus ſufficiat,*vt in c.cum eccleſia,& ibi communiter doct.de cauſ.poſſ.& propriet.* quicquid ſit in hoc, in caſu noſtræ *l.41.Taur.*in ea reſidet ſententia,vt vnicus tantum actus ſucceſſionis, iuncta continuatione poſſeſſionis per tempus ab ea requiſitum, ſufficiens ſit: Nã quamuis in conſuetudine regulariter binus actus requiratur:ſi tamẽ vnicus actus occurrerit,iſq;habuerit
tractum ſucceſſiuum ac continuationem†per tempus 2
requiſitum ad conſuetudinem inducendã,is actus ſol⁹ ad confirmandum ac inducendam conſuetudinẽ ſufficiens erit,*ex tex.in c.cum de beneficio,de praben.in ſexto:* tenẽt Ab Tiraq.&alii plures Dd.quos ibi refert Mol. dicens hanc opinionẽ verã ac ſatis notabilẽ eſſe,præſertim in conſuetudine , de qua loquitur noſtra *l. 41. Tau.*quã ſentẽtiã eodẽ fundamẽto ad noſtrã *l.41.Tau.* prius probauit,atq; ſecundũ eã conſuluit Ioan.Oroſc. ab eo non relat⁹ *in d.l.de quibus,n.47.ff.de leg.*&quod in præſcriptione vel conſuetudine ſufficiat vnicus actus habens tractũ ſucceſſiuum,tenet plures referens Ioan Garſ.*de expenſ.& melior.c.9.n.47.fol.76.*

Duo tamen ſunt cõtra hanc ſententiã illuſtris conſiliarii Regii, quæ me in contrarium proniorem reddunt.Primum quod licet ſuum fundamentum modo proxime relatum *ex d.c cum de beneficio & doctr.Ab.& ſequacium,*verum &iuridicum in ſe ſit;ipſũ tamẽ procedit in conſuetudine, quæ vnico actu cũ tractu ſucceſſiuo &continuatione induci poteſt,nempe 40 annorũ,quo caſu loquitur *d.c. cum de beneficio,vt ibi aduertit gloſ.1.verb Legitima,*&pręterea ceteri D.à Mol. allegati,præcidue Tiraq.*de primogen.quæſt.38.num.2.*In ſpatio enim 40. annorum facile eſt,vt vnicus tantum actus

actus cumcontinuatione ſuccedat:at vero in terminis noſtræ quæſtionis,& ſic *d.l.41.Taur.* requirentis immemorialis conſuetudinis probationem per teſtes fiẽdam , difficillimum imo quaſi impoſſibile videtur, vt præfata immemorialis conſuetudo vnico tantum actu ſucceſſionis cum tractu ſucceſſiuo &continuatione probari queat ; cum vltra probationem 40. annorum de viſu requiratur etiã immemorialis de auditu; hæc autem ſine memoria hominum in contrarium probatio vnico actu quantumcunque continuato cum poſſeſſione minime adimpleri nec verificari poteſt, ſed neceſſario alii act⁹ ad hãc immemorialẽ perficiendam requiri videntur , alias non erit immemorialis, præcipue cum hodie ſumto argumento à communiter accidentibus,quod eſt validũ in iure, homines breuioris vitæ ſint quam olim,quo tempore centum annos quilibet præſumebatur viuere,*vt in l.fin.de ſacroſan.eccleſ.*&tamen probatio centum annorũ abſq; immemoriali in propoſito nõ ſufficeret,vt cum iudicio reſoluit idem Mol.*vbi ſupr.n.25.*

Secundo , contra ſententiam præfati Senatoris vrgent verb.*dict.l.41.Taur.*ibi,*Que concluyan los paſſados auer tenido,&c.* Ergo plures debent actus ſucceſſionis præceſſiſſe,&iterum ibi:*Es à ſaber,que los hijos mayores legitimos y ſus deſcendientes,ſuccedian,&c.* Per quam l. hanc ſecundam ſententiam in terminis noſtrę l. probauit Auen.*in ſuo dictionario legum.Partit.in verb.Coſtumbre,in verſic.iſta concluſio fallit*: vbi affirmat, quod in caſu noſtræ l.ſucceſſio debet continuari per plures quam vnum vel ſaltem duos ſucceſſores:quia ſucceſſio vnius quamuis continuata non ſufficeret;&allegat Dec.*in conſ.222.qui nu.7.*inquit, quod de verbo *conſueuit*,nulla eſt dubitatio,quod plures actus requirat; & ideo quod cum bona,de quibus ibi ipſe loquitur,fuerint duntaxat patris pupillorum alienantium,non poteſt dici quod res conſueuerit eſſe agnationis,provt in ſtatuto requiritur:hanc eandem ſententiam prius ſenſit atque voluit incidenter Greg.Lop.*in l.5.tit 2.p.1.in gl.Como en manera de coſtumbre in verſ.vt inſpiciatur*, & nouiſſime Velazquez *in d.l.41.Taur.gl.8.nu.4.*

Poſſet autem concordia inter has opiniones aſſignari, ſcilicet, vt prior procedat in vno actu de viſu, nempe quod cum ſufficiat teſtes deponere de 40.ann. de viſu,vt in eadem l.ſufficiens teſtimonium ſit,ſi illo tempore de viſu vnus actus ſucceſſionis occurrerit, dummodo etiam de alio vel aliis de auditu in probatione immemorialis,quam l.noſtra requirit probetur. ſecunda vero ſententia quæ habet,vt requirantur plures actus ſucceſſionis,procedat ad hoc vt probẽtur de viſu &auditu ſimul,vt cõſtare videtur ex eadem l. ibi, *Y digan que anſi lo vieron ellos paſſar por tiempo de quarenta annos:y aſſi lo oyeron dezir a ſus mayores.*

SVMMARIA.

1 *Licentia Regis data ad alienanda aliqua bona maioratus,an exſpiret morte concedentis?& n.2 negative reſoluitur.*

2 *Gratia non exſpirat morte concedentis,etiamſi ſolo verbo fuerit facta à Papa vel à Principe ſeculari.*

L. 43.Taur.hodie l.2.tit 7.lib.5. Nou. Collect.Regiæ.

QVÆSTIO LXXIV.

QVÆRO circa *l.43.Taur.hodie l.2 tit.7.lib.5.Nouæ Collectionis Regiæ* quæ habet,quod licentiæ &facultates Regiæ ad faciendum maioratum conceſſæ non exſpirant morte concedentis,quamuis ii, quibus conceſſæ fuerunt , eis minime vſi ſint in vita concedentis (quæ lex procedit , dummodo literæ ipſius gratię,hoc eſt facultatis , ſint expeditæ:ſecus ſi literæ non ſint expeditæ : quia facultas hæc continet quod faciendum,licet alias gratia quid perfectum continẽs ſtatim per verbum *fiat* perficiatur, nec reuocent morte concedentis , vt optime recenſuit doct. Molin. *de primogen.Hiſpan.lib.2.cap.7.nu.62.& ſequen. ſic intelligens legem noſtram*)

An idem ſit † dicendum in licentia & facultate data 1
per Regẽ ad extrahẽdum aliqua bona à maioratu, puta ad ea alienanda ex aliqua iuſta cauſſa. vt non exſpiret morte concedentis? Et videtur ex noſtra lege idẽ in hoc caſu eſſe dicendum,cũ loquatur etiam in licentia & facultate conceſſa à Rege ad aliquid faciẽdum,prout eſt alienare aliquas res maioratus.Secũdo,pro † hac parte
facit,quia gratia facta à Papa,nõ exſpirat morte con- 2
cedentis, *text. in c.ſi cui, de prab.in ſext.& in c.ſi ſuper gratia, de offic. de legat.lib.6.*vbi quod ſicut ipſa gratia, licet nondum ſit in eius exſecutione proceſſum morte non perimitur concedẽtis:ſic nec etiam re integra perimitur exſecutoribus gratiæ data poteſtas quæ acceſſoria eſt gratiæ pręd.ex quo tex.inquit Bald.*in l.humanum,C.de leg.*quod ſi poſt gratiam factam,etiam ſolo verbo,Papa moriatur,gratia nõ exſpirat:quod procedit etiã in Principe ſeculari, ſecun.Bonif.*in proœm. Clem.§.nunc igitur,n.16.quem refert & ſequitur Rebuf.in praxi benef.tit.de gratia ratione congrui,n.2 & 3,pag.360. idem in tit.de different.inter reſcript.gratia & iuſti.n.36. pag.*111.Ergo cum ille,qui vti vult licentia Regali ad alienãdum bona maioratus,hoc facit pro exſequutionẽ gratiæ eidem conceſſæ poterit illa vti,etiam Rege concedente defuncto.

Sed in contrarium vrget alio modo cõſiderata noſtra l.4 .nempe dum ſingulariter exprimit , licentias conceſſas ad primogenium inſtituendum non exſpirare morte concedentis. Ergo diuerſum innuit eſſe in aliis licentiis,quæ non dãtur ad conſtitutionẽ maioratus:præcipue cum facultas &licentia conceſſa ad alienanda bona maioratus, ſit odioſa cum ſit contra voluntatem teſtatorum , qui alienationem prohibuerunt,& maioratus per eam diſſolui videãtur, in quorum conſeruatione agitur de fauore publico:quia cõdere maioratũ,eſt res fauorabilis,vt patet *ex l. 2.tit.15. p.2.& ex noſtra l.43.Taur.* & ſic diverſum eſſe videtur in noſtra q.cũ regulariter omnia re integra morte finiãtur vt latiſſime tradit Hipp.*in l.fi.n.19.& ſeq.ff.de q.*

Nihilominus tamen cum hæc diſpenſatio ſit gratia, ipſaq;ſit iam cõceſſa &perfecta non exſpirabit morte concedentis,ſicut nec illa,quæ ad primogenium inſtituendũ fuit indulta,*ex tex.in d.c.ſi ſup.gratia.& in d.c. ſi cui,& in noſtra l.43* quæ nullam ſpecialitatem conſiderauit in eo quod licentia &facultas conceſſa fuerit ad conſtituendum maioratum,ſed id expreſſit: quia l. noſtra eſt ſub titulo,*De los mayorazgos.* Vis igitur ſtat in eo quod ſit gratia cõceſſa à Rege,qui habuit poteſtatem eam concedendi:quare cum perfecta fuerit ex parte Regis conſequẽs eſt,vt duret etiam eo mortuo, quamuis pars ea vſus non fuerit.Vnde merito quod in noſtra quęſtione idem dicendum ſit , quod noſtra lex Regia in ſuo caſu diſponit,cum in vtroque vigeat eadem ratio &poteſtas concedentis, dummodo literæ expeditæ ſint in vita cõcedentis,iuxta proxime ſupradict.item dummodo licentia præfata conceſſa ſit ſub nomine dignitatis Regiæ,vt plerumq; fit,hoc nempe modo,*El Rey vt in l.47.verſ.Pero ſi el embiaſſe.tit.18.p.3 & ibi Greg.Lop.in gl.El nombre de aquel.*Idem ſi cõceſſit ad bene placitũ Regis,*vt in c.ſi gratioſe,de reſcrip.in ſext.*qui tex.loquitur etiam in diſpoſitione contra ius commune.Nam Sedes Apoſtolica non moritur: & in terminis noſtræ quæſtionis ita tenet Pel.*de maiorat.4 p.q.10.n.10.& 11.*vbi dicit ſecus eſſe, vbicunque licẽtia

conceſſa fuiſſet ſub nomine ipſius Regis, qui licentiã præſtitit; Nam tunc exſpirauit re integra morte concedentis ex ſupradictis. Hoc autẽ non eſt neceſſariũ, quia raro aut nunquam hæc licẽtia nec ſimiles cõceduntur ſub nomine proprio tantum Regiis, ſed dignitatis: Et ita noſtra lex indiſtinctè decidit licentias cõceſſas à Regibus ad conſtituendũ primogenium, non exſpirare morte concedentium: cùm conſtitutum ſit eas ſemper ſolere concedi atq; deſcribi ſub nomine dignitatis Regiæ.

SVMMARIA.

1 *Licentia & facultas teſtandi conceſſa Epicopo à Papa, non exſpirat, morte concedentis.*

2 *Gratia Papæ etiamſi non fiat ſcriptura nec Bulla de ea, non exſpirat morte concedentis.*

3 *Gratia facta per Principem, quæ ipſi ſoli Principi & nulli alij præjudicat, in concedentis præjudicium large eſt interpretanda.*

4 *Gratia facta Epiſcopo in præjudicium concedentis, non eſt ambitioſa, ſed extendenda.*

5 *Gratia Epiſcopi (vulgo reuerendas dicta) ad ordines ſuſcipiendos, non exſpirat morte concedentis.*

6 *Licentia & facultas Epiſcopo conceſſa ad teſtandum ob bene merita, vel ſeruitium vel ad pias cauſſas, tranſit in vim contractus, ac per conſequens reuocari non poteſt, niſi ex iuſta cauſſa.*

Eadem l. 43. Tauri.

QVÆSTIO LXXV.

1 QVÆRO vlterius, *an idem ſit in licentia & facultate conceſſa à Papa Epiſcopo ad teſtandum, vt morte concedentis non exſpiret?* Et non durare ſed morte ipſius Papæ concedentis perimi re integra, quia eſt actus odioſus tentat quamuis dubitando Marian. Socin. Iun. *conſil.* 89. *num.* 34 *lib.* 1. dicens non eſſe inconueniens limitare hoc caſu tex. *in c. ſi ſuper gratia, de offic. & poteſt iudic. de legat. in ſexto.* Præterea, quia hæc licentia videtur eſſe mandatum, quod re integra morte mandãtis exſpirat. *l. mandatum, cum ſimil. C. mandat.* hanc opinionem Socin. refert in trãſitu ac ſequi videtur D. Couar. *in c. cum in officiis, n.* 8. *de teſtam. & Pelaez. de maiorat.* 4. *part. quæſt.* 1. *num.* 9.

Sed contrarium eſt tenendum in terminis noſtræ quæſtionis, imo quod facultas conceſſa à ſummo Põtifice Epiſcopo ad teſtandum, non exſpiret re integra morte ipſius concedentis, argumento ſumto ex noſtra l. & præcipue *ex dict. c. ſi ſuper gratia, & c. ſi gratioſe, de reſcrip. in ſext* qui tex. loquitur in diſpenſatione facta in fauorẽ Epiſcopi contra ius commune, & nihilominus non exſpirat re integra morte concedentis, quando fuit facta ſub nomine dignitatis, vel ad bene placitum Sedis Apoſtolicæ, vt in dict. tex. & prædixi in quæſtione præcedenti. Nec limitatio Soc. aliquo iure probatur. Prætereæ contra eã faciunt, quæ optime in propoſito cumulat doct. Nauar. *in c. placuit, de pœnitentia, diſtinct.* 6. *num.* 161. *cum ſequen.* Quinimo idem Socin.
2 *vbi ſupra num.* 7. Fatetur, quod veritas eſt, vt regula ſit in contrarium *per tex. in d. c. ſi ſuper gratia.* Et † contra Socin. facit etiam quod cum Archid & Ioan. And. tradit Alex. *conſil.* 107. *num.* 4. *vol.* 7. *& Dec. conſ.* 407. *n.* 17. ſcilicet, quod gratia Papæ antequam fiat ſcriptura vel bulla de ea non exſpirat licet Papa moriatur: & tamen certum eſt, quod tunc res eſt integra, nec enim debet quis vti facultate ad teſtandum antequam imbulletur: eandem opinionem Archid. refert & ſequitur Rota *de reſcript. in antiquis deciſ.* 87. *n.* 1. *&* 2. *fol. mihi* 7. eſtq; cõmunis ſententia, vt profitetur D. Mol. *de Hiſp. primog. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 63. vbi eam eſſe veram & procedere intelligi, quando gratia quid perfectum contineret, ſecus autem quando datur ad aliquid faciendũ. Tunc enim morte concedentis literis non expeditis exſpirat, ſecundum Bald. & alios, quos refert: quare licet facultas Papæ conceſſa Epiſcopo ad teſtandum, quia continet quid faciendũ, literis non expeditis, morte concedentis exſpirat; ipſis tamen confectis minime exſpirabit. Vlterius cõtra Soc. facit, quod tradit Rota *de præbend. in antiquis deciſ.* 33. *n.* 13. *fol.* 47. ſcilicet, † quod gratia facta per Principem, quæ ipſi ſoli Principi, & nulli alii facit præiudiciũ, in concedentis præiudiciũ large eſt 3
interpretãda. Præterea † gratia facta Epiſcopo in præiudicium concedentis, non eſt ambitioſa, ſed eſt extẽdenda Rota *de conceſſ. præd. in antiquis deciſ.* 12. *n.* 3. *fol. mihi* 51. *colu.* 4. quo fit, vt facultas hæc teſtandi, cum reſpectu ſummi Pontificis eam concedentis, ſit gratia, & in ipſius tantum præiudicium, quia ad ſe pertinẽt bona Epiſcoporum defunctorum, quę appellantur ſpalia, non ſit odioſa, ſed benigna & fauorabilis, *vt in l. beneficium, ff. de conſtit. princip.* Non obſtat quod hæc facultas & licentia teſtandi videatus eſſe mandatum, ac proinde re integra morte mandatis exſpiret. Nam nõ eſt mãdatum nec reſcriptum ad liter, ſed gratia facta & facultas cõceſſa Epiſcopo: vnde à recto deuiare videtur Soc. *vbi ſup. in præd.* ſua opinione, & loqui contra iura expreſſa & receptas traditiones Doctorum. 4

Sic etiam videmus, † quod gratia Epiſcopi (vulgo 5
Reuerendas nuncupata) ad ſuſcipiendos ſacros ordines à quocunque maluerit Antiſtite ordinandus gratiam tamen & communionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ habente, &c. non exſpirat morte cõcedentis ſecundum Cardin. *in Clement. ſi. nu.* 9. *de elect.* qui in hoc eſt receptus ſecundum Nauar. *in ſua Apologia vbi infra allegabitur, nu.* 2. *ſequitur Vitalinus in dict. Clementina ſi. nu.* 43. *& Rebuffus in praxi benefic. tit. de formul. dimiſſor. nu.* 43. *qui eſt videndus à nu.* 39. *fol.* 23. *&* 24. *idem Nauar. in dict. cap. placuit, nu* 163. *de pœnitent. diſtinct.* 6. *Doct. Didac. Perez in l.* 6. *tit.* 12. *lib.* 3. *Ordin. col.* 12. 13. *in verſic. item etiam, vbi alios allegat.*

Et ita in terminis noſtræ quæſtionis Marianum Socin. *vbi ſupra* reprobat bonis fundamentis Doct. Sarmient. *de redit. Eccleſ.* 4. *par. cap.* 3. *n.* 2. *fol.* 210. *& ſequentibus*, vbi etiam mordet Couar. *in cap. cum in officiis, nu.* 8. *de teſtam.* tenentem opinionem Socin & contra Soc. neruoſe pluribus fundamentis noſtram ſententiam probauit Doct. Nauar. *in Apolog. de redit. Eccleſ. q.* 3. *monito.* 8. *nu.* 1. *pag.* 572.

Si tamen † licentia facultas hæc ad teſtandũ con- 6
cedatur ob bene merita vel ſeruitiũ vel ad pias cauſſas, tranſit in vim contractus: ac per conſequens reuocari non poteſt abſq; iuſta cauſſa, iuxta tradita per Felin *in capitul. licet vndique, column.* 2. *de offic. de legat. & Celſ. conſil.* 16. *numer.* 2. *& ſequentibus, & per me in repet. l. nemo poteſt, nu.* 175. *ff. de leg.* 1. & cum iam caſus noſtræ quæſtionis in praxi contigiſſet, vidi aduocatum quendam niſum præfata opin. Soc litem magnam excitaſſe: ipſe vero contrarium defendi prędictis fundamentis aduerſus Soc. & tandem obtinui.

SVMMARIVM.

1 *Approbatio & confirmatio Regia maioratus iam facti, an debeat fieri ante mortem inſtitutoris, vel ſufficiat quod poſtea fiat? remiſſiue.*

L. 42. Taur. hodie l. 3. tit. 7. lib. 5. Nou. Collect. Reg.

QVÆSTIO LXXVI.

QVÆRO † circa intellectum *l.* 42. *Taur. quæ hodie ex l.* 3. *tit.* 7. *lib* 5. *Nou. Coll. Reg.* qua cauetur, quod 1
licentia Regis ad faciendum maioratum debeat præcedere maioratus confectionem, & quod poſtea conceſſa, maioratus antea factus non confirmetur, niſi in tali licẽtia expreſſe approbetur maioratus iam factus: *An hæc approbatio & confirmatio maioratus iam facti debeat fieri ante mortem inſtitutoris maioratus, an vero ſufficiat poſt quod mortem eius ſequatur?* Hanc quæſtionem latiſſime in vtrãq; partẽ examinauit D. Mol. *de Hiſp. primog. lib.* 2. *c.* 7. *nu.* 12. *& ſeq.* optimeque reſoluit quid tenendum ſit in ea, ideo ad eum me remitto, ſequutus ipſius reſolutionem, apud quẽ in toto illo *c.* 7. *à princ. vſq. ad n.* 62. excluſiue videri poterũt aliæ pulcræ quæſtiones & declarationes circa hãc legem, Sequitur etiam nouiſſime Velazq. *in dict. l.* 42. *Taur. gloſ.* 3. *num.* 9. *cum ſequent.*

SVMMARIVM.

1 *Pactum expreſſum de non reuocando maioratum, ipſum efficit irreuocabilem.*

L. 44. Taur. hodie l. 4. tit. 7. lib. 5. Nouæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO LXXVII.

1 QVæro † circa *l.* 17. *&* 44. *Taur. hodie d. l.* 44. *eſt l.* 4. *tit.* 7. *lib.* 5. *Nouæ Collect. Reg. An maioratus conſtitutus ex Regia facultate, efficiatur irreuocabilis extra caſus in d. ll. Regiis contentis ex pacto expreſſe appoſito de non reuocando?* Et partem affirmatiuam, nempe effici irreuocabilem ex huius clauſulæ adiectione, late probauit doct. Peralt. *in l. cum pater, §. à filia, n.* 32. *ff. de legat.* 2. *ex tex. in l. vbi ita donatur, ff. de donat. cauſſ. mor.* vbi diſponitur, quod in donatione cauſſa mortis, quæ ſui natura reuocabilis eſt, ex pacto de non reuocando irreuocabilis efficitur, vbi id communiter doct. notant. eſt communis, vt plures referens teſtatur Molin. *à n.* 45. *vbi infra citabitur.* Secũdo & quidem efficaciſſime hæc ſententia probatur ex eiſdem legibus Regiis, dum inducunt irreuocabilitatem meliorationis vel maioratus ex actibus, quibus voluntas & animus non reuocandi comprehenditur, nempe ex traditione rerum vel inſtrumenti: vel ſi fiat melioratio & maioratus ex cauſſa onероſa cum alio tertio, veluti matrimonii vel ob aliã ſimilem cauſſam: A fortiori igitur id ipſum erit, quando expreſſe maioratus inſtitutor promiſit ſe nunquã maioratũ reuocaturũ, quia cũ in præd. tribus caſibus ex voluntate tacita conſtituentis maioratũ fiat ipſe irreuocabilis, à fortiori voluntas expreſſa idem operabitur, *iuxta regulam vulgar. l. cum quid, & ibi communiter doct. ff. ſi cert. petat.* Quare merito hanc ſententiam probauit doct. Mol. *de primogen. Hiſpan. lib.* 4. *cap.* 2. *nu.* 40. vbi numeris ſequentibus refert quatuor difficultates contra hanc opinionẽ & ipſis ſatisfacit ſufficienter cum reſponſionibus *ad dict. l. vbi ita donatur, ff. de donat. cauſſ. mort.* ſed & nos quoque probauimus hãc eãdem ſententiam *in noſtro Tractat. de Iuramẽt. Confirmat.* 1. *part. c.* 12. *n.* 11. vbi retuli hoc ſine dubio procedere ſecundum communem opinionem, ſi cum præd. pacto adſit iuramentum: id quod poſt me cum eadem communi probat Andr. Angul. *in l.* 1. *gl.* 11. *nu.* 1. *tit.* 6. *lib.* 5. *Nou. Collect. Reg.*

Superuenit tamen poſtea quidam aduocatus Granatenſis Licent. Pelaez, qui in ſuo tractatu *de major.* 1. *part. quæſtio.* 3. per totam latiſſime probare nititur contrariam ſentẽtiam aduerſus doct. Peral. *vbi ſupra*, eamque tenet ex fundamentis, quibus doct. Molin. *vbi ſupra* iam ſatisfecerat, quare ipſa referre non curo: inſuper & alio, nempe ex noſtris ll. 17. *&* 44. *Taur.* quæ pro regula ponũt tres caſus irreuocabilitatis maioratus vel meliorationis, & nõ ita faciliter ad alios ſunt extendendæ: quia non ſine myſterio illo tres tantũ caſus expreſſerunt: Ergo alii debent haberi pro omiſſis: & circa hoc plura alia expendit verba, *& num.* 17. probate nititur noſtras ll. quatenus inducunt irreuocabilitatem meliorationis & maioratus, eſſe correctorias iuris communis, nempe *l. fin. C. de pact.* ibi, *Et in ea vſq; ad extremum vitæ ſpatium perſeuerauerit:* melius tamen formaſſet præcedens fundamentum hoc modo: Nẽpe quod hę ll. noſtrę per viã regulę generalis & exceptionis diſponunt quod omnis donatio à parentib. in deſcendentes facta eſt irreuocabilis, præter caſus in eiſdẽ exceptos, nam licet verum ſit, quod exceptio non excludat caſus ſimiles, iuxta gl. *in l. ita nobis, C. de adult. & in l. ob æs alienum tantum. C. de prædiis min.* tamen quando lex procedit per modum regulæ generalis, ipſique regulæ dantur aliquæ exceptiones, tũc non admittũtur aliæ etiam alias admiſſæ à iure cõmuni ante d. l. vt poſt alios docet Tel Fern. in propoſito *in l.* 17. *Taur. n.* 9. eandem ſententiam Pelaez, eo tamen non relato, ſed neruoſius probat nouiſſime Andr. Ang. *vbi ſupr. n.* 6. *& ſeqq.*

Nihilominus tamen prior ſententia meo iudicio eſt verior & tenẽnda: nec obſtat ſupradict. fundamentum contra eam adductum: quia reſpondeo, quod parens per appoſitionem præd. clauſulæ videtur renuntiare facultati quæ eidem tribuitur ab eiſdem ll. meliorationem reuocandi & maioratum, niſi in præd. tribus caſibus, quę renuntiatio procul dubio valet & admitti debet, cũ ſit iuris pro ſe introducti, *argumento l. penul. C. de pact. cum ſimilib.* & præterea cum caſus excepti in dictis ll. & hunc à fortiori comprehendant, cum omnes conſiſtant in voluntate facientis meliorationẽ & cõſtituentis maioratum, vt prędixi, ſicque non extenſio ſed comprehenſio cenſetur: præmaxime cum eadem ratio in omnibus ſupradictis caſibus inueniatur. Nec obſtat, quod voluntas plus fama quam verbis declaratur, *vt in l. ſi tamen, §. ei qui, ff. de ædil. edict. l. de quibus circa fi. ff. de leg. l. reprehendenda, C. de inſtit. & ſubſtit. ſub cond. fact. gl. l.* 2. *§. ignominiæ, verb. Sufficit, & ibi additio marg. ff. de his, qui notantur infam.* & ſic videtur quod per traditionẽ rerũ vel inſtrumẽti, vel propter cauſſã onероſam, magis declaretur volũtas irreuocabilitatis quam verbis. Nam id procederet, quando verba non eſſent clara ad hunc finẽ, vt melioratio vel maioratus reuocari non poſſet: nempe ſi generalia eſſent, & appoſita nõ in ipſa diſpoſitione, ſed in acceſſoriis & exſequutione contractus, nẽpe ibi, Promiſit ſupradicta omnia obſeruare & minime eis contrauenturum, &c. At vero quando pactum ſpeciale de non reuocando vllo vnquam tempore dictam meliorationem & maioratum in ipſius principalis diſpoſitione adiicitur; non video quod amplius voluntatis declarandę remaneat faciendum; imo plus hoc caſu declaratur volũtas quam facto ipſo, hoc eſt traditione rerum vel inſtrumenti, cum hoc poſſit ſtare & tamen adiici clauſula valida facultatis reuocandi meliorationem vel maioratum ſic traditione firmatũ, vt in noſtra *lege quadrageſima quarta* expreſſe cauetur in verſic. *Saluo el ſegundo.* vbi poſtquam diſpoſuerat maioratum effici irreuocabilẽ in illis tribus caſibus, hoc limitat, *Saluo ſi en el poder de la licẽtia q̃ el Rey le dio, eſtuuieſſe clauſula para que deſpues de hecho lo pudieſſe reuocar, o que al tiẽpo que lo hizo el que lo inſtituyo, reſeruaſſe en la miſma eſcritura que hizo el dicho maiorazgo, el poder para lo reuocar: que en eſte caſo mandamos que deſpues de hecho lo pueda reuocar.* Quod intellige in caſibus immediate præcedentibus, in quibus irreuocabilis fit maioratus, nempe per traditionem poſſeſſionis bonorum, vel inſtrumenti, vel propter cauſſam onероſam cum tertio; nam extra illos regulariter maioratus

eſt irreuocabilis, vt in prima parte *dict.l.* cui non recte quadrat, hæc limitatio: nã aliàs eſſet ſine dubio & non neceſſaria: in quo ſecundo caſu nempe quando diſponens reſeruauit in ſe facultatem reuocãdi intelligo idem eſſe in caſu *dict.l.*17. *Taur.* nẽpe in melioratione tertii & quinti irreuocabili effecta vno ex prædictis tribus modis *in dict.l* 17.contentis, cum vtroque caſu eadem ratio militet, & ab eiſdem ll. vterque caſus meliorationis & maioratus æquiparetur: & præterea pobatur expreſſe hoc extenſio in hac eadem *l.*44. in illis verbis: *El que hiziere algun mayorazgo, aũque ſea con autoridad nueſtra.* Ergo procedit hæc l. etiam ſi abſq; Regia facultate fiat auctoritate ſcilicet legis de tertio & quinto quia nihilominus verus maioratus eſt.

At vero præcedentes duæ limitationes minime cõueniunt caſui noſtræ quæſtionis, nempe quando meliorationi vel maioratui adiicitur clauſula de non reuocando: tunc enim ſi præterea adiiceretur vt poſſet reuocari vel quod reſeruat in ſe facultatem reuocãdi, repugnantiam contineret, & neutrum conſiſteret, *vt in l.vbi repugnantia ff.de reg.iur.* & nemo ſanæ mentis hæc duo ſimul apponeret, nempe, quod promittit ſe nunquam reuocare meliorationem & maioratum, & quod poſſit eam vel eum reuocare: quare magis declaratur voluntas in propoſito ex clauſula & pacto de non reuocando quam ex traditione rerum vel inſtrumenti: Ergo à fortiori irreuocabilitas inducetur illo caſu quam hoc, ex diſpoſitione & mente noſtrę legis, ſicque ceſſant omnia fundamenta Pelaez, præterquam quod nõ eſt expeditũ leges has in irreuocabilitate, quæ inducitur in prædictis tribus caſib⁹, eſſe cõtra ius commune, cùm imo potius poſſet contrarium iure probari, ſi opus eſſet: nec caſus *dict. l. fi. C.pact.de* conuenit noſtro: diuerſus ſiquidem eſt ab eo, cum hic ipſemet viuens diſponat per viam contractus donationis inter viuos de bonis ſuis irreuocabiliter, quod poteſt iure cõmuni facere, & præcipue facultate Regia, qua vtitur cõdens maioratum, ibi, *ſecus.* Non etiã obeſt aliud eiuſdem auctoris fundamentum dicentis, iure communi minime cõſiſtere donationem factam à patre filio in poteſtate conſtituto, nec cõfirmari abſque traditione, nec factã à matre filio poſſe reuocari, etiam traditione non intercedente: nam reſpondeo illud procedere de iure cõmuni, vt ipſe fatetur: at vero de iure Regio, attẽtis noſtris legibus, ſecus eſt, quia valet donatio inter patrem & filium, ſiue conſtitutum in ipſius poteſtate, ſiue emãcipatum, reuocabiliter tamen, niſi in tribus caſibus ab eiſdem exceptis, quibus includitur & noſter, ſicque ſtandum eſt regulæ noſtrarum legum cum ſuis limitationibus ſupradicto modo intellectis non vero iuri communi correcto per eaſdem leges. Nec obſtat quod pactum de non reuocando apponatur actui de ſui natura reuocabili, & ſic videatur debere ſequi naturam illius actus: nam contrarium eſt verius, vt videmus in dicta lege vbi ita donatur, cuius ratio eſt, quia clauſula de non reuocãdo de qua ibi, efficax eſt ad transferendum contractum in aliam ſpeciem contractus irreuocabilis. Tũc enim cũ contractus, in quem primus transfuſus eſt, ſit irreuocabilis per conſequens & clauſula in eo appoſita, *vt in dict.l.vbi ita donatur,* & procedere poſſet obiectum in acceſſoriis, quę ſequuntur naturam ſui principalis: ſecus vero eſt quando in diſpoſitione apponitur clauſula importans aliquid diuerſum & ſeparatum æque principali et, vt poteſt dici in clauſula, de qua agim⁹: tunc enim ea clauſula non ſequitur naturam principalis diſpoſitionis vt hæc omnia latiori ſermone tradit doct. Molin. *vbi ſupra, num.*47. *& ſequentibus*, vbi optime ſatisfacit ad *Clement. de probat cum ibi notatis*, vbi probatur, quod clauſula in exſequutione contractus appoſitæ, non ſolent eius diſpoſitionem alterare ſicque noſtra hæc & aliorum præfata ſententia verior mihi videtur & tenenda aduerſus Pelaez & Angul *vbi ſupra*, Non obſtat quod *dict. l.* procedat per modum regulę generalis, &c. Nam quando caſus exceptuati & alii ſunt ſimiles; tunc etiam venit caſus qui de iure cõmuni comprehẽdebatur, vt poſt Dec. probat Cagnol. *in lege prima numer. trigeſimo ſext. ff. de regul.iur. Tellus in dict. l.*17. *Taur.num.nonageſim.ſecund. Molin vbi ſupra, nu.*39. *in fin.*

SVMMARIVM.

1 *Maioratus in contractu inſtitutus ex Regia facultate, irreuocabilis eſt, quando id præcipitur in ipſa Regia facultate.*

L.44.Taur.

QVÆSTIO LXXVIII.

QVÆRO † ſecundo circa eaſdem ll. *an etiam ma-* 1 *ioratus irreuocabilis fiat, quando in Regia facultate id expreſſe præcipitur, vt ſemel maioratu conſtituto, amplius reuocari non poſſit, ſi huius facultatis virtute maioratus in contractu inſtituatur?* Et ſi ad rationes Pelaez in quæſtione præcedenti attendimus, nec hoc etiam caſu maioratus irreuocabilis fiet, cum non ſit de tribus contentis in noſtris legibus Regiis, *nempe l.*17.*&* 44. *Taur.* ſed adhuc & in hoc caſu, ſicut in præcedenti, maioratum eſſe irreuocabilem ipſa ratio poſtulat *& l. noſtra* 44. coadiuuat. quæ in tribus caſibus non admittit præfati actus reuocationem, nempe ſi poſſeſſio rerum, ex quibus actus ille conſtat, vel inſtrumentum ipſius actus eidẽ traditum fuerit, aut ex cauſſa oneroſa idem actus ſit geſtus: non ergo erit mirum, ſi idem dicamus ex Principis auctoritate ad hoc accedẽte, cõſenſu etiã illius, qui eundẽ actũ reſcindere potuiſſet, in id præſtito: quam ſententiam etiã probauit D. Pet. Peralt. *in l.* 3. *§.qui fideicommiſſam, nu.*119. *cum ſequent. ff. de hered.inſtit.& doct. Mol.de Hiſpan.primog.lib.*4 *c.*2. *nu.*54. vbi hoc intelligit in maioratu contractu inſtituto, ſecus in teſtamento inſtituto.

SVMMARIVM.

1 *Melioratio vel majoratus conditus in teſtamento, non efficitur irreuocabilis, etiam cum clauſula expreſſa & iuramento de non reuocando.*

Eadem l.44. Taur.

QVÆSTIO LXXIX.

QVÆRO † tertio, *an melioratione vel maioratu facto* 1 *vel condito in teſtamento, vt fieri poteſt, vt in his legibus Regiis, appoſita tamen clauſula de non reuocando inſuper cum iuramento, prædict. prælegatum meliorationis vel maioratus efficiatur irreuocabile?* Et videtur quod non, cum non intercesſerit traditio rerum nec inſtrumenti nec cauſſa oneroſa, quæ ſolent maioratum vel meliorationem efficere irreuocabilem, vt in his legibus probatur, *in dict.l.*17. ibi *Saluo ſi fecha lo dicha meiora por contrato entre viuos, huuiere entregado la poſſeſſion, &c & in l.*44 ibi: *Saluo ſi el que lo hizieſſe por contrato entre viuos, huuiere entregado la poſſeſſion, & c.* Pondera vtramque legem quatenus requirit conditionaliter ad irreuocabilitatem inducendam in præd trib. caſib, quod melioratio & maioratus fiat in contractu, cum tamẽ ambæ leges in regula à ſe poſita in principio earum circa facultatem reuocandi prædict. meliorationem & maioratum loquantur, ſiue fiat in contractu, ſiue in vltima voluntate, in exceptionibus tamen pro forma requirunt quod fiat in contractu: Ergo quando fit in vltima volũtate, traditio vel cauſſa oneroſa non operatur irreuocabilitatem, & in terminis ita expreſſe tenet

tenet Doct. Ant. Gom in *l.*17. *Taur.n.*24. *& Greg.Lop. in l* 2.*tit.*15.*partit.*2.*in gl.*1.*magn.col.fi.in verſic.& nota.*

Si ergo traditio rerum donatarum vel inſtrumenti ipſius actus, nec cauſa oneroſa cum tertio, quæ alias quando actus fit in contractu, ſufficerent, irrevocabilitatem non inducunt, quando is fit in vltima voluntate, nec juramentum ſuperadditum eam operabitur, cum ſortiri debeat naturam actus ſuper quo interponitur, juxta regulam *l.final.cum ſimul.C.de non nu.pec.* Quo fit, vt neque pactum de non revocando cum juramento hoc caſu ſufficiat, cum hæc eadem teſtamẽtum irrevocabile minime efficiant, vt latiſſime diſſerui atque cum magis recepta ſententia probavi in meo Tractatu *de Iuramento confirmat* 2 *part.c.*1.*n* 2.

Sed pro contraria parte facit *l.vbi ita donatur, ff.de donat.cauſſ.mort.* de qua in quæſtione præcedenti & ſic Tell, Fernan. in *d.l.*17.*Taur.n.*64.*& ſeqq. vſque ad n.*113 *excluſive*, latiſſime examinans hanc quæſtionem pro vtráque parte, in hac ſecunda reſidet: nempe, quod licet tanquam legatum non efficiatur irrevocabile, tamen per juramentum appoſitum tranſit in donationem inter vivos, & efficitur irrevocabile virtute juramenti, etiam extra tres caſus in noſtris ll. contentis, licet tandem relinquat cogitandum.

Nihilominus tamen prior ſententia verior eſt & tenẽda meo judicio, vt latiſſime probavi eandem ſecutus in d. meo. Tractat. *de Iuram.Confirm.*1.*p.c.*12 *n.*11. *& ſeqq.* vbi reſpondi fundamentis Telli Fernand. *& d. l.vbi ita donatur*, & dixi quid tunc poſſit operari juramentum: quare ad ibi latius dicta me remitto, quę vera & juridica exiſtimo non minus quam ſubtilia: & poſthæc ſcripta noviſſime hanc meam ſententiam adverſus Tellum *vbi ſupr.* late probat Angul. in *l.*1.*gl.*11.*n.*43.*&* 50.*tit.de las meioras lib.*5 *Nou.Collect.Reg.*

SVMMARIA.

1 *Neptis ex filio maiori præmortuo in vita patris, præfertur patruo in ſucceſſione maioratus, quando fœminæ in eo non excluduntur omnino: ſed tantum propter maſculos eiuſdem gradus.*
2 *Diſpoſitum à l.*2.*tit.*15 *part.*2.*in ſucceſſione Regni, procedit etiam & debet ſervari in ſucceſſione maioratus eiuſdem Regni.*
3 *Filiorum appellatione in favorabilibus continentur filiæ fœminæ.*
4 *L.*40.*Taur. procedit non ſolum quando decedit primogenitus, ſed etiam ſi abdicet à ſe ius primogenituræ, vt hic.*
5 *Patruus præfertur nepti ex filio maiori præmortuo, quãdo in maioratus ſucceſſione fœmina excluſa eſt propter maſculos etiam remotioris lineæ & gradus.*
6 *L.* 40. *Tauri procedit etiam in vinculis & maioratibus particularibus tertij & quinti.*
7 *Maioratus tertij & quinti abſque facultate Regia, vere & proprie maioratus eſt.*
8 *Dictio,* quamvis, *includit ſub diſpoſitione caſum magis dubium.*
9 *L.*40.*Taur. procedit in anniverſario defunctorum cum clauſulis maioratus facto.*

L.40. Taur. hodie l.5.tit.7.lib.5. Novæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO LXXX.

1 QVæro † *An neptis ex filio maiori præmortuo in vita patris, præferatur patruo in ſucceſſione maioratus, quando fœmina non excluditur omnino ab eo, ſed tantum propter maſculos eiuſdem gradus?* In qua quæſt. Doct. Petr. Peralta in *rubr.ff.de hered.inſtit.n.*129.*pag.*81.*col.*2 *in princ.verſi.Videbatur præterea, cum ſeqq.* late probare nititur partem negativam in *terminis l.*40. *Taur. qua hodie eſt l.*5.*Nou.Collect.Reg.* contendens eam procedere, vbi nepos eſt maſculus: ſecus ſi fœmina ſit, quia ipſa non excludet patruum: & inter alia id probat ex *l.*2.*tit.*15.*p.*2. ibi, *Et porende eſtableſcieron, que ſi fijo varon hi no ovieſſe, la hija mayor heredaſſe el Reyno:* Ergo ita demum ſuccedit filia in Regno, ſi filius maſculus deficiat: ſed in præſenti quæſtione adeſt filius maſculus vltimi poſſeſſoris defuncti, & non filia, ſed neptis: ergo ipſa ſuccedere non debet, ſed filius.

Nihilominus tamen in re hac contrarium eſt tenẽdum, imo quod neptis ex filio primogenito præmortuo in vita ſui patris præferatur patruo in ſucceſſione majoratus, quando fœmina in eo majoratu ſolum excluditur à ſucceſſione ipſius propter maſculos ejuſdẽ gradus & lineæ, & hoc ratione & lege Primo, quia fœmina hoc caſu eſt cõſtituta in linea recta primogeniti, filius autem ſecundo genitus minime. Quam ob rẽ neceſſario debet à nepte præferri, cum ipſa tamen ſit excluſa à ſucceſſione majoratus propter maſculum ejuſdem lineæ & gradus. Secũdo ex *d.l* 2.*tit.*15 *p.*2. quæ immediate poſt verba ſupra proxime relata pro contraria parte vlterius procedit, dicens, *E aun mandarõ, que ſi el hijo mayor murieſſe ante que heredaſſe, ſi dexare fijo o fija que ovieſſe de ſu muger legitima, que aquel o aquella lo ovieſſe, e no otro ninguno.* Et ſic per hæc verba excluditur põderatio præcedẽtiũ pro contraria parte à Peralta facta, quandoquidem ſtatim lex planiſſime hanc partem probavit præcedẽníq; intelligatur, quoties non eſt, nec fuit filius maſculus: quod ſi is aliquãdo fuit & deſcendentes non reliquit: nam ſi eos reliquiſſet, clarum eſt ipſos ſuccedere, etiamſi talis deſcẽdens eſſet fœmina, in defectum maſculi: nõ vero ſuccederet alius quam deſcendens ex primogenito præmortuo, vt aperte ead. l. expreſſit in d verſ. *E aun mãdaron:* quę licet loquatur in ſucceſſione Regni Hiſpaniæ, procedit etiã, & idẽ ſervari debet in ſucceſſione majoratuum ejuſdem Regni, cum † illud ſit caput, hi 2 vero membra: & à capite membra regi debeant & ab eo diſcedere, *vt in c.cum non deceat, de præſcript.cum ſimilib.* A Regno igitur tãquam à capite cetera primogenia derivantur ſuccedẽdiq; rationem accipiunt, vt in terminis *d.l.Regia* probavit Paul.de Caſtr. loquens in majoratibus Hiſpaniæ *conſi.l.*64.*n.*1.*vol.*2. *Bologn. conſi.*62.*col.*2. *Abb.cõſi.*85.1.*par.Covar.lib.*3.*variar.reſol. c.*5.*n.*5.*verſi.Quarto, Greg.Lop.in l.*3.*in gl.Mugeres, col.*2.*tit.*13.*part.*6. *Doct.Peralt.in rubr.ff de heredib.inſtit.n.*122.*& in l.*3.*§.qui fideicõmiſſum, n.*120.*ff.eod. Ant.Gom. in l.*40.*Taur.nu.*11 *in fi & nu.*63 *in fi. Mench.de ſucceſſ. creat.§.*26.*n.*94.*& D. Ant.de Padilla in rubr.n.*6.*C.de fideicommiſſ.* quod latiſſime probat D Molin.de Hiſpanorum primogenijs *lib.*1.*c.*2.*n.*7 *& ſequent. vſque ad n.*18 *incluſive idem d.lib.*1.*c.*3.*nu.*1.*& ſequent. Burg.de Paz in proœmio legũ Taur.n* 68.*& Matien. alios referens in l.*6.*tit.*7.*hoc lib.*5.*gl.*3.*n.*16. *idem Burgos de Paz conſi.*29.*n.*76.*lib.*1.*& D.Burgos de Paz Iun.qu.*2.*nu.*72. vbi plures refert: eandem etiam ſententiam principalem inſinuat generalitas noſtræ legis, ibi, *Eſtos tales decẽdientes del hijo mayor por ſu orden præferan al hijo ſegundo del dicho tenedor, &c.* Nam clarum eſt neptem eſſe deſcendentem filij primogeniti prædefuncti?

Nec obſtant verba præcedẽtia ejuſdem legis, ibi, *Si* 3 *el tal hijo mayor dexare hijo, o nieto, o decẽdiente legitimo,* quę videntur † maſculum tantum ſignificare: nam appellatione filiorum continentur filię fœminæ quia in favorabilibus maſculinum comprehendit fœminum *l.ſi ita ſcriptum, ff.de leg.*2.*l.qui duos mulos, ff.de legat.*3. *gl.& Doctores in c, in generali, de elect.lib.*6. *Doctores in l.quicunq; C.de ſervis fugitivis, Iaſ. latiſſime in l.ſi quis id*